# EXEMPLA,
## IN SEPTEM CAPITALIVM VITIORVM DETESTATIONEM,
*PER QVADRAGESIMAM, AN.* 1646.
*narrata.*

*à*

## GEORGIO STENGELIO
Societatis IESV Theologo.



CONTRA VENENA, ET VENENATA.

Cum Priuilegio Cæs. Maiest. & permissu Superiorum.

*Ingolstadij. Anno M. DC. XLIX.*

Apud GREGORIVM HÆNLINVM.

REVERENDISSIMO ET PERILLVSTRI DOMINO DOMINO

# IOANNI RVDOLPHO

LIBERO BARONI DE RECHBERG, IN HOCHENRECHBERG, DOMINO IN DONZDORFF ET WISGOLTING,

SERENISSIMI ET REVERENDISSIMI

## SIGISMVNDI FRANCISCI

ARCHIDVCIS AVSTRIÆ ET EPISCOPI AVGVSTANÆ DIOECESIS ADMINISTRATORI VIGILANTISSIMO, CATHEDRALIS ECCLESIÆ IBIDEM PRÆPOSITO DIGNISSIMO,

NEC NON

EICHSTETTENSI ET ELWACENSI CANONICO, DOMINO MEO COLENDISSIMO.

QVod dudū animus cupiebat, calamus gestiebat, officium & munus meum debebat, ſed hoſtilis gladius impediebat facere, REVERENDISSIME ADMINISTRATOR, id nunc demum ago, armis quietem ſpectantibus, & togæ cedentibus. Nimirum opportuna fuit mora atq; dilatio, vt tunc tibi de ADMINISTRATORIS munere, & PRÆPOSITI dignitate lætus acclamarem, & fauſta precarer, cùm tam noſter, quàm aduerſariorum miles deſijt timeri. Turbat tubarum ſtrepitus gratulationem, quæ læta eſſe debet, & cum tranquillitate. *Sera gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim ſi nulla negligentia prætermiſſa eſt*, ait M. Tullius. Et quidem tibi, immo & Eccleſiæ Auguſtanæ meritò omnes gratulantur, quicumque vel tuum ingenium.

Cic. Curioni, lib. 2.

um, vel huius statum nouerunt. Est enim iste talis, vt tuo ingenio indigeat; & tuum ingenium, vt iacentem erigere valeat. Quod vel nomen familiæ tuæ inclytæ nobis innte ominabatur, à CERVIS & MONTIBVS ductum. Sicut enim cerui à canibus per campos agitati ad montes se, tamquam ad asylum, recipiunt, regio Propheta dicente: *Montes excelsi ceruis: petra refugium herinacijs*: ita turbidâ hac belli tempestate, trepida diœcesis Augustana vndique miserè vexata, inter tot rerum discrimina, nusquam potuit tutiùs consistere quàm si se tali MONTE tueretur. Præuidisti hoc, ô clemens DEVS, *præparans montes in virtute tua, accinctus potentia*. Idcirco fluctu decumano, post tot vndas, secuturo, rupem hanc in medio mari statuisti, ad quam procellæ allidenrentur. Rectè dixit quidam: *Regendo Mundo nati sunt Montes; Atlante iam fatiscente Montem alterum*

Psal. 103. 18.

Psal 64.7.

*rum parat* AVGVSTA, cui molem imponat. Quis hoc non videat? *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Igitur clariùs iam micare par est. Vicinum conijcere diem licet, quando in Occidente rubere MONS cœpit. Et quis tibi, aut patriæ meæ de tali MONTE non gratuletur, quando vel hostis noster virtuti tuæ se inclinauit? atrocior futurus, si tu minùs prudens ac bonus fuisses. Possem plura commemorare, si hæc tempora veritatem paterentur. De præteritis fas est futura conijcere. Sed ne & hæc quoque tibi, magna potiùs facere, quàm de te ipso audire cupienti nimis prolixa videantur, malo tacere, quæ alios scio cogitare. Maiorem paginam implerent, si quæ vel hisce meis oculis vidi in te laudanda, velim recensere. In eadem enim Aula Bauarica, atque ijsdem Principibus adfuimus, per aliquot annos; tu, vt mores regeres; ego, vt traderem artes, simul

Matth. 5. 14.

ſimul læti & triſtes: eo ſolùm diſcrimine, vt ego agerem ſcholæ magiſtrum, tu aulæ Præfectum. Quamquam tua ſe virtus ampliùs extendit, vt, quemadmodum de Bauaris, ita etiam de Auſtriacis benè mereretur. Vtrobique amatus, vtrimque auulſus es, quia ad maiora à Deo vocatus. Quæ optimè tibi ceſſura, non poſſum ambigere; quando DVCVM & ARCHIDVCVM tam bonus Dux extitiſti. Et quia non erit tibi *colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus,* idcirco librum de ſeptem monſtris dedico, quibus, tamquam ſeptem Hydræ capitibus, domandis Hercule opus eſt. Vale, & Vince. Ingolſtadij Anno 1649. 12. Cal. Maij. Epheſ. 6. 12.

*Seruus in Chriſto*

GEORGIVS STENGELIVS
Soc. IESV.

*PROOEMIVM*

# De Instituto narrandi

## POPVLO EXEMPLA EX VITIS SANCTORVM, AVT ALIORVM GESTIS.

INSTITVTVM *hoc Populo narrandi Exempla, ex Vitis Sanctorum, aliorumué gestis, Salmanticæ cœpit exili principio. Pater quidam Zelosus & Deuotus solebat Dominicis diebus ac Festis, sub vesperum, in aliquo loco, iuxta portam Collegij, congregare paucos studiosos sibi familiares, eosq́ꝫ aliqua narratione sacrorum Exemplorum recreare. Fama breui multos attraxit, tandem ita excreuit desiderium audiendi, vt neqꝫ schola, neque templum concurrentes caperet; sed necesse fuit atrium Collegij, quod vastißimum est, huic operi designare, quod ita repletur, quoties hæc narratio fit, vt solùm capita audientium emineant, & ægrè præ compreßione multitudini manus à quoque ad deponendum pileum, nominato* IESV *vel* MARIA, *attolli poßit. Concurrit Flos scholæ & ciuitatis, neque infimi absunt. Hinc propagatum est hoc Institutum in totam Hispaniam, quin & in Indias, Mexicanas, Peruanas*

*nas*

*nas, vt item in Philippinas Insulas, paßim incredibili concursu, applausu, & fructu, vt nec multarum Concionum vtilitas cum vnius Exempli bene narrati fructu comparanda sit.*

*Instituitur narratio paßim in quadragesima (alicubi etiam in Aduentu) vel binis, vel ternis diebus in hebdomade, idq; sub Vesperum, vt ante crepusculum, idq; propter honestatem, mulieres domum redire poßint. Alicubi jam etiam cœpta narratio hæc intra annum subinde Dominicis diebus, quando docetur Catechismus, in publico foro. Experientia docet, magis trahi populum, quàm alijs exhortationibus Catechisticis. Et hæc ipsa Exempla ista accommodari possunt ad capita Catecheseos quæ tractantur, vt Explicationis & Exhortationis loco sint.*

*Quæruntur Exempla magis apta & efficacia, ad insignes animorum motus excitandos, & prolixiora, vt facilè media hora narratione insumi poßit. Alioquin tamen, sed rariùs coniunguntur duo Exempla, rarißimè tria: & tunc talia sunt, vt vel appositos euentus, vel planè similes, in eis intueri liceat, sicq; vnum alterum confirmet.*

*Ascendit Narrator suggestum sine superpelliceo, quod eò fieri puto, quia initium narrandi, vt dictum est, vel in aliquo cubiculo, vel in scho-*

*la, vel in atrio fuit, hinc etiam in templis absq; superpelliceo narrari cœperunt. Magis tamen probarem, vt vbi modò sit in templo, superpelliceum adhiberetur. Cùm æquè sacer actus sit, atque alij, qui ex suggestu fiunt.*

*Statim flectit genua, & breuem secretam orationem instituit, signat se sacra Cruce, & absque themate, præfatione, & ambagibus, statim ad rem ipsam venit. v. g. dicit, quanti referat à blasphemijs abstinere, non manere in statu peccati mortalis, esse deuotum B. Virgini, frequenter confiteri, dignè communicare, &c. id satis doceri hoc vel illo Exemplo, quod narraturus sit. Auctorem exempli esse talem vel talem historicum, vel S. Patrem, cuius, vel quorum auctoritatem breuiter commendat, vt exemplo auctoritatem conciliet, vel si nostræ ætatis Exemplum est, loca & testes allegat, &c. Tunc narrationem instituit valde graphicam & patheticam, dilatatam & amplificatam ijs circumstantijs, quæ vel in historia exprimuntur, vel (vt res humanæ sunt) præsumi queunt probaliter interuenisse. Abstinet ab omnibus digreßionibus prolixioribus, & quæcumque filum historiæ interrumpere, vel animum audientium pluſculum ab eo diuertere poſſunt. Contrà, quæ doctrinam afferre, vel motum excitare poſſunt, aut accommodatæ,*

*modata ad id Epithetis, tropis vel figuris ipsi narrationi immiscet, vel absolutâ periodo, aliqua exclamatione vel dicto, vel epiphonemate, vel admonitione quasi obiter indicat, & statim recta narrationem prosequitur, quam tandem absoluit cum energia aliqua particulari, vel ex abrupto siue peroratione, vt animi magis suspensi maneant, vel breuißimâ monitiunculâ doctrina & fructûs, quem domum asportare debeant. Iniungit etiam aliquando, vt statim tria Aue Maria vel quid simile, ad fructum obtinendum, vel pro ijs, quibus Exemplum accommodari potest, recitent, sicq́; de suggestu descendit, & Auditores domum abeunt. Aliquando tamen in quadragesima (vbi in templo narratio fit,) eâ absolutâ cantatur lugubri voce, & valde tractim psalmus* Miserere, *cum aliqua Collecta. Hæc ratio huius Instituti.*

*Aliunde simile institutum viget, in hac Prouincia inter nostros: Toto anno in dies Ieiuniorum, & quibus est narratum exemplum in templo, in recreatione vespertina sub vltimum quadrantem, quando iam omnes adsunt, aliquis ex Patribus, vel Fratribus studiosis, aut Magistris, quem ordo tangit, paucißimis verbis narrat, omnibus silentibus, & audientibus breuißimum Exemplum Religiosis accommodatum,*

*tum, similiter nominans Auctorem, qui illud scribit. Et quò breuior est hæc narratio, eò melior. v. g. vt Miserere consueto modo recitatum non excedat, quo absoluto omnes ad sua colloquia redeunt, alicubi tamen statim duo vel tres ibi publicè doctrinas morales referunt, quas ex eiusmodi exemplo capere possimus, sed hoc per modum recreationis, vt virtus Eutrapeliæ docet.*

*Prioris Instituti fructus præcipui hi sunt. Primùm admirabilis delectatio & commotio animorum, & conuersio morum in audientibus. Secundò Vtilissima occupatio Nostrorum: qui enim semel hanc narrationẽ gustare cœperunt, numquam satiantur legendo, & quærendo exempla in varijs auctoribus, eorumq; compendia sibi faciendo. Tertiò impletio Regulæ sacerdotum de comparandis exemplis Sanctorum contra singulas peccatorum species &c. quæ absque tali vsu & exercitio ferè vel friget inter nostros, vel omnino negligitur. Quartò optimus vsus talenti, quod aliqui habent narrandi, cùm concionandi talentum non habeant, sicut contrà aliqui (quamuis pauciores) habent talentum concionandi, qui narrandi non habent. Quorum (priorum scilicet) talentum, ne absque fructu defossum maneat in terra, expedit vbiq;*

*intro-*

*introduci hoc institutum, etiam mandato R. P. N. Generalis si opus foret. Est enim ex ministerijs maximè proprijs Societatis, eiusq́; sancto zelo omnibus medijs possibilibus, ad maiorem Dei gloriam, animorum profectum procurandi inprimis dignus.*

Hæc his ipsis verbis, ex Hispania, ad nos transmissa placuit apponere, quia non solùm ostendunt, quanta sit Vis & Virtus Exemplorum vniuersim, verùm etiam docent: quæ sit prima origo, exempla narrandi, ad eum modum, quo apud nos, primùm Ingolstadij à Patribus nostræ Societatis, deinde etiam paullatim, in reliquis Germaniæ vrbibus, per quadragesimæ tempus, ante quadraginta iam annos, cum vtilitate pariter, ac iucunditate cœperunt commemorari. Petierunt autem iam diu complures à me, vt eiuscemodi Exempla in publicum emitterem, exempli gratia, atque in memoriam posteritatis dicturæ: *Quanta audiuimus, & cognouimus ea: & Patres nostri narrauerunt nobis. Non sunt occultata a filijs eorum, in generatione altera. Narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit.* Psal.77.3. Et sanè aliquammulta iam hinc inde libris de Iudicijs, quæ DEVS in hoc

Mundo

Mundo exercet, inſperſi, vnà cum epimithijs ſuis. Hîc iam eodem ordine aliquot promo, quo in vna quadrageſima, de ſeptem Capitalibus vitijs fuerunt recitata; quibus deinde aliorum quoque nonnullorum annorum Exempla ſubiungentur. Tu, Lector, boni conſule, & quod deeſt Actionis, tuo affectu compenſa; vt Exempla habeas animata. Neque enim audita dumtaxat, ſed etiam lecta proſunt, ſi, ſicut debent, legantur, ſiue ab ijs, qui ſe reos agnoſcunt, ſiue qui ſe arbitrantur innocentes.

Ouid li 3. de Pont. eleg. 2.

*Cùm feriant vnum, non vnum fulmina terrent:*
*Iunctaq; percuſſo turba pauere ſolet.*
*Cumq; dedit paries venturæ ſigna ruinæ,*
*Sollicito vacuus fit locus ille metu.*
*Quis non è timidis ægri contagia vitat,*
*Vicinum metuens ne trahat inde malum?*

Verè dixit Seneca: *Ex vitio alterius, ſapiens emendat ſuum. Optimum eſt, maiorum ſequi veſtigia, ſi rectè præceſſerint.* Sequenda mox dabimus; ex vitio aliorum emendanda, nunc damus. Bona ſpe fructus ſecuturi.

Macrob. lib. 1. Saturn.

Neque enim tantùm *plebeia ingenia magis exemplis, quàm oratione capiuntur,* vt Macrobius putauit, ſed rectè princeps oratorum dixit:

dixit: *Duo illa nos maximè mouent, similitudo* Cic. lib.3. de orat.
*& Exemplum.* Mouent autem siue ad imi-
tandum, siue ad fugam etiam lecta: *Consi-* Macrob.
*derandum,* inquit idem Macrobius, *hunc esse* lib. 6. Sa-
*fructum legendi, æmulari ea, quæ in alijs pro-* turn.
*bes: & quæ maximè inter aliorum dicta mire-*
*ris, in aliquem vsum tuum opportuna deriua-*
*tione conuertere, quod & nostri tam inter se,*
*quàm à Græcis, & Græcorum excellentes inter*
*se sæpe fecerunt.* Si mouent igitur pulchrè di-
cta, vel facta ad amorem: poterunt ad odi-
um quoque mouere, quæ detestanda osten-
duntur. Inter quæ maximè sunt peccata, &
maximè septem illa, quæ, quia fontes sunt
omnium peccatorum, *Capitalia* nominan-
tur, similia bestiæ, quam Ioannes vidit *de* Apoc. 13. 1.
*mari ascendentem, habentem capita septem, &*
*cornua decem, & super cornua eius decem dia-*
*demata, & super capita eius nomina blasphe-*
*mia.* Contra quam bestiam, tamquam con-
tra Lernææ paludis hydram, totidem ca-
pitibus, quot exciduntur, identidem rena-
scentibus, in omni vita est depugnandum.
Bestia, quam vidit Ioannes, *similis erat par-* Ibid. n. 2.
*do, & pedes eius, sicut pedes vrsi, & os eius, si-* S. Hiero.
*cut os leonis.* Nimirum *quomodo in theatra-* ad Mar-
*libus scenis, vnus atque idem histrio, nunc* cellam.

*Hercu-*

*Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem*, ait S. Hieronymus: *Ita & nos tot habemus perſonarum ſimilitudines, quot peccata.* Quemadmodum igitur varijs morbis varia pharmaca; ſic & varijs vitijs varia adhibenda ſunt Exempla. Siquidem, vt Philoſophus ait: *Exemplis vtimur in dicendo, vt facilius intelligatur, quod dicitur.*

Ariſtot. lib. 1. de art. Poët.

# CAPVT I.

## DE HVMANA SVPERBIA, ET MISERICORDIA DIVINA, IN ALFONSO REGE OSTENSA.



*Si ascenderit usq; ad coelum Superbia eius, et caput eius nubes tetigerit: quasi sterquilinium in fine perdetur.* Iob. 20. 6.

### *PARS PRIMA.*

HISTORIAM, alio loco & fine, à me strictiùs datã, placet hîc diductiùs narrare: vt, quæ *bullatas nugas*, præcipuum humani generis vitium, velut in scena, graphicè exhibet spectandas, eadem quoque remedium exhibeat curando morbo, I. Lib. 2. de Iudicijs Dei. c. 4. §. 2. HISTORIAE AVTHORITAS.

quem repræſentat. Hiſtoriæ ſcriptor tantam fidem meretur, quantam habet authoritatem. Eſt enim Epiſcopus Palentinus, *Rodericus Santius* dictus, de Areualo, qui priùs quàm mitrâ inſigniretur, fuit Pauli II. Pontificis Romæ, in Caſtro S. Angeli, *Caſtellanus*; cuius libros, è Toletanæ Eccleſiæ Bibliotheca, nominatus Soc. noſtræ ſcriptor, Andreas Scottus, emendatos edidit. Authoritas hiſtorico etiam inde eſt, quòd eius volumina ab alijs grauibus & eruditis viris paſſim laudata inueniantur. Hic ergo Rodericus Santius Parte 4. Hiſt. Hiſpan. cap. 1. & ſeqq. ad glorioſos & cicadis plenos, eosque, qui ſibi videntur digito cælum attingere, moderandos homines, eiuſcemodi exemplũ poſteritati conſignauit.

II. ALFONSI FORTVNA Anno Seruatoris 1252. ſucceſſit, in Hiſpania, regnis Caſtellæ & Legionis, patri ſuo Ferdinando III. filius Alfonſus X. huius nominis; ſtirpe regiâ, patriâ laude, ſceptri ſucceſſione, alijsque rebus multis felix; quin & Violantæ, Iacobi regis Aragoniæ heroicæ filiæ, matrimonio beatus. Quanquam, vt nihil, in hac vita, *ex omni eſt parte beatum*, ita & huic coniugio Deus ſalem aſperſit. Nam,

Pſal 135.4 *qui facit mirabilia magna*, inter ea etiam hoc

ſæpe

sæpe facit, vt pauper, qui nocturno diurnóque sudore vix se ipsum & vxorem suam potest sustentare, liberis abundet; ac opulentus prole careat; atque ita vnus, sine hæreditate habeat hæredes; alter sine hærede possideat hæreditatem; ne hæc necessariò coniungi, sed vtraque donum esse de cœlo agnoscamus. Quare etiam Alfonsus sceptrum in manu, coronam in capite habuit, hæredem non habuit, quem maximè desiderauit; faciliúsque vno è regnis, quàm filio, caruisset. Quid ergo illi faciendum fuit? Cogitandum erat, non omnia omnibus dari: differri aliquando mortalium vota, vt ipsâ expectatione fiant gratiora: etiam Abrahamo, in senectute, filium obtigisse: Samuelem, à sterili, precibus obtentum esse: denique multis filios aut filias, à quibus solatia expectabant, in magni luctus argumentum transijsse. Hæc atque alia talia Alfonsus cogitare debuisset. At, quia magna sæpe est, in magnis principibus impatientia, & desideria non rarò, in consilijs, plus valent, quàm ratio; idcirco, Alfonsus, magnâ erga Deum diffidentiâ, ad humana animum subsidia, qualia demum cuncta ea essent, conuertit; & haud diu moratus, contra ius & fas, de alia vxore ducendâ

Gen. 21. 2.

1. Reg. 1. 20.

ſtatuit; ita publico intereſſe bono ratus: quaſi vllum ſit magis publicum, quàm DEI bonum; aut vbi hominis eſt vtilitas, ibi Numinis honor, cultus & præcepta poſſint diſſimulari. Erat regi Daciæ filia *Chriſtiana* dicta, virgo, inter præcipuas formas, admiranda. Eam, per oratores, petijt. Et (quid non impetrant reges?) etiam impetrauit. Sed ab homine, nam Deus interceſſit, qui illam alteri deſtinauit. Dum enim illa magnâ procerum nobiliúmque pompâ deducitur, dum ingenti comitatu Hiſpalim venit, interea, diuinâ Prouidentiâ, *Violanta* vera Alfonſi vxor filiam illi Beringuelam peperit; ſeque ipſam à ſterilitatis ſuſpicione abſoluit. Mirifici igitur extemplo motus atque ſermones vbiq; extiterunt. Nam alij dicebant, Deum pro *Violantæ* cauſsâ ſtetiſſe; alij *Chriſtianæ* nouæ ſponſæ ignominiam egregiam aiebant irrogatam eſſe, quæ regni ſpe deluſa eò pedem, vnde attulerat, inſtar corui hiantis referre cogeretur: quidam mentem altiùs mittentes dicebant, diuinis conſilijs virginis honori ſubuentum eſſe, vt quæ non regina, ſed concubina *Alfonſi* habenda fuiſſet: plerique ſubitum *Alfonſi* factum, & leuitatem regiæ maieſtati haud conuenientē accuſabant.

Qui, hinc noua nupta veniente, inde titulo nouarum nuptiarum cadente, velut inter sacrum & saxum consistens, cùm rerum suarũ exitum non videret, seque ob tam præceps consilium, à Numine, per infamiam & populi cachinnos, meritò puniri agnosceret; illam inconsiderato negotio honestam coronidem adiecit, vt, in magna occasione, venustissimæ Virginis ad se perductæ pudicitiã non sollicitaret, omnique curâ in id incumberet, vt turpis error honorifico mantelo contegeretur.

III. ALFONSI GRATIA ET GLORIA.

Hanc, in Alfonso, temperantiam magnus castitatis remunerator Deus, multis beneficijs ornauit. 1. Fratrem eius Philippum, natu minorem, pensionis fortasse magis, vt fit, quàm religionis caussâ, in nescio quam Abbatiam Vallisoleti, & Canonicatum Hispali promotum, excitauit, vt mallet in matrimonio esse castus, quàm, inter quotidianas illecebras, extra coniugium, periclitari. Itaque, repentè ac nemine opinante, deposito Clerici habitu, *Christianam* duxit, à rege Alfonso (ita virginis pariter atque suo honori consultum esse gaudente) magnificè regiéque ditatus, & dotatus. 2. Fastidium, quod erga improlem *Violantam* conceperat,

ceperat, in magnũ amorem vertit. 3. Etiam caussas amoris cœlum suppeditauit. Alfonso enim *Violanta* complures filios, filiásque genuit; qui magnis postea matrimonijs claruerunt. Siquidem Ferdinando primogenito eius *Blanca* S. Ludouici Franciæ regis filia in matrimonium data est, alijs aliæ. 4. In Blancæ nuptijs, magnum liberalitatis ac munificentiæ nomen comparauit. Victualia in foro exponebantur, sine custode, *vt quisque, quibus vellet, frueretur, numulary publicè aderant, qui omnibus forensibus, quas petebant, pecunias dabant. Et erant aly deputati, vt, si quem malè vestitum viderent, illico vestimentis iam factis tegerent, ne differendo negare viderentur.* Nullus præterea, vel maximus, vel minimus indonatus abiuit. Quin Imperatorem Constantinopolitanum, eodem tempore, à Soldano Babyloniæ captum, decem millibus marcarum argenti redemit, tantò plus famæ adeptus, quantò minùs videbatur tenax pecuniæ. 5. In filijs quoque ipsis fuit celebris; Ioanne præsertim secundo genito, qui, contra Mauros, fortissimè felicissiméq; bella gessit. 6. Ipse Alfonsus, ab ineunte ætate, otij fugitans, amansque litterarum, ita in scientijs profecit, vt potiùs ipse Docto-

res docere posset, quàm timere eos, aut rogare deberet. Et quia excelsi erat animi, non inter epulas, non in ludis, non cum canibus & morionibus tempus perdebat, sed mentē ad grandia appellens, id Hispanis fuit, quod Atheniensibus Solon, quod Lacedæmonijs Lycurgus, quod Romanis Numa Pompilius, quod Moyses Israelitis. Leges optimas vndique conquisiuit, selegit, summaque moderatione & æquitatis ratione in septem libros, quos *Partitas* vocant, concinnauit: in quibus saluberrima statuta, non ad lites duntaxat humanas pro æquitate decidendas, sed etiam ad diuinum cultum piè dirigendū sanctéque augendum continentur: de quo diuino cultu promouendo parum curæ est, in illis curijs, quæ Plutum pluris quàm Deum faciunt, & æraria magis, quàm templa venerantur. 7. Etiam bellis inclytus fuit Alfonsus, siquidem regnum Murtiæ, à Carthagine nouâ, vsque ad Chinchilla, à Sarracenis recuperauit. Sarracenos vicit; multáque armis præclara opera fecit: ob quæ adeò longè latéque fama eius celebrata est, vt quidam Germaniæ Imperijque Electores eum suffragijs suis eligerent in Romanum Imperatorē, eáque propter ex Hispaniâ vsque, accerserent,

rent, ad hanc quoque summam coronam capessendam.

IV. ALFONSI SVPERBIA. Huc vsque laudes & decora potissimùm *Alfonsi* audiuistis. Sed, ô *Superi*, quàm sæpe *Inquinat egregios adiuncta superbia mores?* &, quotiès magnæ laudes, in magna vituperia degenerârunt! vtq; ex optimo vino fit pessima vappa, ita è summis virtutibus occasio potest sumi maximorum vitiorum! Multa regna, multa nomina, multi fortunati successus *Alfonsum* superbum fecerunt; qui cùm in prosperitate sua dicere debuisset, *Tua est, Domine, magnificentia, & potestas, & gloria;* gigantea quadam arrogantia, sibi ipse Suffenus fuit. *Superbia dicit* (verba sunt D. Augustini) *Ecce multis, immò pœnè omnibus melior es, verbo, scientia, diuitijs, honoribus, & cunctis, quæ carnalibus, vel spiritualibus suppetunt charismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis temetipsum superiorem attende.* Itaque, inter tot dotes ac prosperitates, Alfonsus quoque, vt plurimi, non tam sancto, quàm elato animo fuit, atque nimius propriæ excellentię æstimator, ac laudum humanarum sititor.

Claud. 4. Honor.

1. Paralip. 29.

S. Aug. lib. de conflictu vitiorum.

1. Ob ingenij præstantiam, insolenti *quadam sui sensus singularitate confisus*, magis sibi placens, quàm Peleus in machæra, consilia ali-

aliorum contemnebat. 2. Non consilia tantùm, verùm etiam seipsum omniáque sua opera magni faciebat, alijsque, cum quibus ea contulit, præ sanè arroganter, etiam melioribus, anteferebat. Nimirũ verè dixit S. Gregorius, *Quisquis* superbiæ *tyrannidem in se captiuâ mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quòd, clauso cordis oculo, iudicij æquitatem perdit. Nam cuncta, quæ ab alijs bene geruntur displicent, & sola ei, quæ ipse vel prauè egit, placent. Semper aliena opera despicit, semper miratur, quæ ipse facit,* immò & quæ non facit. Nam, teste S. Thoma, *arrogans est, qui sibi attribuit, quod non habet.* Qui enim animo se supra se eleuat, facilè etiam verbis maiora iactat, quàm re præstat. Talis Alazon etiam Alfonsus fuit. 3. Hinc suæ voluntati obsequens, vix in alia consilia adduci potuit; quin erga eos, qui aliquid sensui eius contrarium sentiebant, aut eius judicijs aduersabantur, subiniquum, amarum, & vindictas acerbè cogitantem animum gessit; quẽ supercilio, rugosâ fronte, ac toto vultu, quin verbis, miníque prodidit. *Quæ maior superbia,* ait S. Bernardus, *quàm vt vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei?* Prætulit Alfonsus

S.Greg. lib. 14. Mor.c.18.

S.Thom. 2.2.q.112. a.1. ex D. Greg.l. 23. Mor. c.7.

S.Bern. ser. 2. de resurrect.

sus. 4. Qua de caussâ, qui ei à consilijs erant, verum non libenter audienti, elingues facti sunt, & tacere, quàm offendere maluerunt.
3.Reg.22. 8. Pauci enim sunt Michææ, qui regibus æquè malum ac bonum audent prophetare, prout cæli terræq; Dominus, lex, veritas, & æquitas suggerit; aut qui Dauidem imitantes dicere possint:
Psal. 118. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar.* 5. Immo, quia eum laudibus ac præconijs suis oppido delectari, & insipientium more plausibus capi videbant, aderant plurimi, qui illi *Euge, Euge* canebant, omnia illius in maius extollentes, & cum applausu ac palpo recensentes; his arridebat, quanquam epiphyllidas & ampullas meras loquerentur. 6. Quàm
Eccles. 7. 6. vere dictum est, *Melius est, à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi?* Nam
Psal. 9. 21. dum *laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur*, velut incendium, inanis gloriæ cupiditas crescit, & facienda putat, quæ audit laudata. 7. Alfonsus igitur, & suopte ingenio ad vanitatem factus, & linguis insuper adulantium mendacijsque parasitorũ excæcatus, cœpit non solùm è rectè factis famam captare, sed etiam de ijs, quæ reprehensione digna erant, glorianter loqui,

qui, *Psellissare*, suusque ipse & testis & præco esse; nihil nisi de proprijs rebus dicere, nihil velle aliud, quàm suas laudes audire: &, cùm deesset quod jactaret, etiam fingere. At vel Tullio judice, *deforme est de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.* Audiant hîc igitur peruersi socij, simulati amici, & blandiloqui familiares, quàm meritò ab Isaia dicatur; *Væ, qui iustificatis impium*: nam adeò dementant isti eos, quos de vanitate laudant, vt præ vertigine mentis nō videant ampliùs, quid laude, quid vituperio dignum; sed de rebus stultissimis, de insania, de flagitijs ipsis laudem captent; nec sentiant, inanias suas ab audientibus rideri: seque ea, cum spe placendi, propalare, quæ si inimicissimi dicerent, ad necem postularentur. Qui maximè indigent, rarissimè confitentur; quia erubescunt, suas fœditates Confessario narrare; & quidem illi, cui nefas est, quidquam eorum, quæ in confessione audiuit, reuelare. At in circulis, in mensis, in conuenticulis, decem præsentibus, eadem non verentur, cum copiosa amplificatione, de se jactare; vbi auditores habent, scurrilitatem eorum, per totam ciuitatem euulgaturos. Cur ibi non, sed ante

Cic. l. 1. Offic.

Isa. 5. 23.

Con-

Confessarium duntaxat, erubescunt? Nempe quia Confessarius ea vituperat; isti autem risu laudant; & quamuis animo damnent, vultu tamen atque adulatione videntur approbare. *Væ, qui iustificatis impium*: nam adulatione vestra impietatem eius animatis. Nihil suspectiùs est adulatione; & tamen multis nihil charius, nihil pretiosius. Quod genus hominum, in res honestas, & cum primis necessarias minimum sumens impendij, ad vana & turpia prodigum notabat Crates, cuius hæc ephemeris celebratur: *Ponito coco minas decem, medico drachmam*: ADVLATORI *talenta decem: consiliario fumum; scorto talentum, Philosopho triobolum*. Nimirum merces maxima erat adulatori, qui maximè nocebat. Ita fatetur ipse sibi D. Augustinus accidisse: *Præceps ibam*, inquit, *tanta cæcitate, vt inter coëtaneos meos, puderet me minoris dedecoris, quàm audiebam eos iactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quantò magis turpes essent. & libebat malum facere, non solùm libidine facti, verùm etiam laudis. Quid dignum est vituperatione, nisi vitium? Ego, ne vituperarer, vitiosior fiebam. Et, vbi non suberat, quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse, quod non feceram; ne viderer abiectior, quò eram innocentio*:

De Cratete Laërt. l. 5. c. 6.

S. Augustin. l. 2. Confess. cap. 3.

tio:

*tior, & ne vilior haberer, quò eram castior.* Hoc vitium, cum inter multos vigeat, maximè tamen regnat inter milites. Apud *Alfonsum* autem vsque adeò irroborauit, vt præ arrogantia, sibi ascriberet, quidquid vspiam à Duce illius vllo, vel milite fuerat egregiè gestum. Nimirum, teste Aristotele, *de seipso sæpius loqui, prædicare, pollicerique multa: aliena quoque benefacta asserere, & vendicare sibi, arrogantiæ est,* quo vitio *Alfonsus* maiora sibi vendicans, quàm quæ ei inerant, laborauit. 8. Quin inuidiâ stimulatus, dolebat, si quid præclarum ab alijs factum audiret prædicari, eorum consilia carpens, & dicteriis facinora insignia deprimens. Quo vitio, refert Curtius, etiam Alexandrum M. cum audisset, Agim regem Lacedæmoniorum rebellantem ab Antipatro victum, tacitè indignatum, esse, arbitrantem suæ gloriæ detractum, quidquid accreuisset alienæ. Laudem igitur omnem *Alfonsus*, vt ad se traheret, quidquid pulchri in bello factum erat, affirmabat, suo consilio & decreto factum: si quis autem casus tristis, si clades, si conflictus imprudens accidisset, aliorum ascribebat temeritati. Ita multi innocentes atque egregiè cordati, & laude meritâ priuabantur, & de virtute in ca-

Aristot. l. 2. Rhetor. c. 7.

lumniam

S. Basil. in admonit. ad filium spiritual.

lumniam veniebant. Denique de eo verum erat, quod S. Basilius scripsit: *Superbus, etsi decorus videatur aspectu, tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, & per incessum, & motus dignoscitur eius superbia, & ex verbis publicatur eius leuitas. Cupit semper laudari ab hominibus, & virtutibus, à quibus est alienus, se prædicari gestit. Non se patitur cuiquam esse subiectum, sed semper primatum cupit, & ad maiorem gradum emergere. Et, quod ex meritis non potest, ambiendo festinat obtinere. Ambulat semper tumens, vt vter vacuus, & vt nauis gubernatore destituta à fluctibus iactatur huc & illuc.*

V. Alfonsi infelicitas. Eccli. 10. 7. Iac. 4. 6. Sophron. 1. 2.

Quod planè *Alfonso* euenit. Nam, quia *odibilis coram Deo est, & hominibus superbia*, clareque is, qui *superbis resistit*, per Sophoniam minitatur: *Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur*, cœpit, diuina Nemesi gladium stringente, fortuna eius mutari, & vnum malum illi super alterum accumulari. 1. Leuifidus rex Granatæ, munitus valido auxilio Maurorum Africæ, fœdus, quod cum *Alfonso* pepigerat, ex improuiso rupit; pluri-maque castra ac munitiones regni Murtiæ illi eripuit. 2. Ciuitatem de Xericio, in Bætica, obsedit, illamque & arcem illius varijs machinis expugnatam occupauit, ac Gonza-

ciu

cium præcipuæ virtutis ducem cepit. 3. Cùm oppidum de Niebla, in Wandaliâ, per Sarracenos diu occupatum, mensibus decem obsedisset, immisit Deus, velut in nouum Pharaonem, in castra *Alfonsi* innumera mortiferarum muscarum agmina; quæ virulentæ, quia vndique in cibos inuolauerunt, velut visco inhærentes, cum cibis exitiosè commanducabantur. *Ex qua re omnes ferè de castris ventris fluxum, quem dysenteriam vocant, incurrerunt, plurimiq; moriebantur.* Eccli. 10. 4. Dionysio Portugaliæ regis filio, nepoti suo, iuueni, se Hispali comiter visitanti, non sine prodigalitate condonauit tributum, quod regibus Castellæ & Legionis pendere Portugaliæ reges, antiquo iam more, obstringebantur. In qua re summi sanè momenti vnius militis suasum secutus Nunij de Larâ, viri nobilissimi ac prudētissimi, in concilio fortissimè obsistentis sapientem sententiam, cum indignatione, & verbis indecentibus reiecit. Quod vbi ceteri viderunt consiliarij, regis offensam odiumque metuentes, pedibus in eius sententiam iuerunt: non tam regi, aut regno, quàm sibi consulentes. Hæc res magnis dissidijs initium dedit. Nam & Nunius, eâdem horâ, nec obtentâ, nec petitâ regis licentiâ

centiâ, discessit. Qui post se satraparum tria millia traxit, omnes à fide & obedientia *Alfonsi* vnà discedentes. Ad hos missâ legatione, vbi caussam discessûs interrogauit; responderunt: *Volumus restaurare regnum, & restituere, sicut erat antea.* Mox regi Granatæ se junxerunt, bellumque acerbum pariter, contra *Alfonsum*, excitârunt, ac diuturnum.

Eccli. 10. 8. Nimirum *regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitias & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* 5. Ab Electoribus cùm & suffragium, & spem coronæ Imperatoriæ potiundæ accepisset, cogitationibus maximis pelnus, ingenti apparatu, gaudioque se in viam dedit. O spes humanas! ô miseri mortales, quò curritis, quid vos ipsos lactatis? cur magnos vobis honores promittitis? sæpe, qua via vos putatis ad honorem tendere, tenditis ad calamitatem. Nec rarò qui ad summum dignitatis gradum peruenerunt, non iam velut per decliue, sed tanquam è præcipitio deijciuntur. Sic Dionysius junior, è Syracusano rege, Corinthi factus est ludimoderator. Sic Polycrates Samiorum tyrannus à Cyri præfecto Oræte victus, & in patibulum sublatus est. Sic Xerxes ab Artabano, Artabanus ab Artaxerxe occisus; Tarquinius superbus,

perbus regno pulsus; Iulius Cæsar confossus; Pompeius interfectus, exempla fuerunt fragilis Fortunæ. Sic Marius septies Consul de Iugurtha triumphauit, sed victus à Sylla, triumphatus est à Fortuna, quando in Minturnensium plaudibus & cæno delituit. C. Cotta ante ipsum futuri sui triumphi diem, expirauit. Nempe is, per quem reges regnant, sicut attollit in sublime benè meritos, ita & viam incîdit, si videat arrogantes, &, tanquam Argiuum clypeum abstulissent, gloriantes. Quod & in *Alfonso* apparauit. Siquidem, cognito eius fastu, consilia omnia, suffragiaque in cassum ceciderunt. Verba Authoris sunt: *cùm ad Imperium suscipiendum pergeret, cognita eius elatione, Imperij, ne dixerim confirmatione, sed nec possessione potitus est: licet (vt quidam referunt) callidè actum est, vt occasione vitandi schismatis in Imperio, Romani Pontificis iussu, iuri Imperij resignare visus esset, idq́ egit, apud Belicardum, prope Auenionem. Sic nonnullos duces, sub Aureliano, per ambitionem, imprudenter ad Imperium orbis aspirasse legimus, nec ad concupitam potestatem deuenere, sed pœnas ambitus luebant. Fuit deniq́ Alfonsus & in ceteris rebus infortunatissimus. Nam recedens in Hispaniam, non paruas perpessus est per-* Sant. lib. cit. cap. 4.

 *secutio-*

*secutiones. reperit enim plurimas funestas nouitates.* Reperit defunctum Ferdinandum primogenitum: reges, Granatæ, & Bellarmini, in armis: cæsos Santium Infantem Aragoniæ, & Archiepiscopum Toletanum: Wandaliam & Bæticam magnis cladibus affectas. Denique *asserunt, Santium Alfonsum,* suum *patrem, ex Imperio venientem ad regni gubernationem non admisisse.* Ita *odibilis, coram Deo est, & hominibus superbia.* Et *sedes Ducum superborum destruxit Deus.*

Eccli. 10. 7. Eccli. 10. 17.

VI. ALFONSI EXEMPLO CAVSSAE BELLORVM ET CALAMITATVM OSTENSAE. Roder. Sant. lib. 4. c. 3.

E quibus Rodericus Santius, episcopali zelo, Reges, Principésq; ciuitatum & regnorum jura mutantes, & vertice sidera ferire volentes caussam primariam bellorum calamitatúmque esse clamat; dum enim sana consilia non audiunt; dum quisque, *quæ sua sunt, non quæ IESV Christi,* quærunt; dum se solos sapere, dum sua omnia iusta, aliorum iniqua esse arbitrantur; dum parasitis & thus aulicum vendentibus delectantur, & adulatoribus vtramque aurem, doctis probatisque viris neutram præbent, dum de alijs omnibus temerè suspicantur, acerbè iudicant, sinistrè loquuntur; dum se non supra humana duntaxat, sed etiam diuina efferunt; vel ut gigantes Pelion Ossæ imponentes

tes, aut turrim Babel ædificantes, deijci de gradu merentur. Et quia magni (vt magnæ arbores è monte cadentes) multa secum trahunt, ideò populis quoque inducunt calamitatem. *Luxit, & defluxit terra*, ait Dominus, *& infirmata est, defluxit orbis: infirmata est altitudo populi terræ. Et terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternũ. Propter hoc maledictio vorabit terram. Vt sæui quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt*, ait S. Chrysostomus, *vt & arena cum vndis misceatur, sic ambitio & turpis quæstus animam subeuntes omnia subuertunt.* Duo sæpe duces, quibus nequaquam sunt Zopyri talenta, tamen æmulatione honoris, hosti potiùs, quàm æmulo victoriam relinquunt. Nec æmulum tantùm deserunt, & sub cultro relinquunt, sed, ne alter insigni pugnâ emergat, etiam totos exercitus, totas prouincias sinunt periclitari. Tanti est ambitio; vel falsa fama sanguine emitur mille innocentûm. An Deus non irascatur? an bella non suscitet? an non habeat caussam pacis differendæ? Molestissima nobis sunt bella, quia ærumnis ærumnas cumulant, & postquam adeò diu durarunt, finem non videntur

Isa. 14. 4.

S. Chrys. hom. 43. ad pop. Antioch.

dentur habitura. Hinc pacem optamus, hinc nulli ferè vbique sunt, nisi de milite, de castris, de prælijs, de nouis bellicis sermones. Hinc ignarum vulgus libenter audit, si Principes, si Reges, si Imperator calumniosissimis conuitijs quotidie traducatur; quasi isti ità rem gerant, vt eorum vecordiæ, ignauiæ, discordijs, & superbijs omnis temporis nostri calamitas sit attribuenda. ô linguæ! ô cæci iudices! ô impudens audacia! Esto in his videat diuinus oculus, quod puniat; esto non omnes aulæ sint sanctæ; esto in quibusdam dormiat iustitia; vigilet ambitio; inuidia regnet; multa fiant, quæ fieri non deberent; num id ad sutores in taberna, ad sartores in caupona, ad laniones in macello pertinet iudicare? Quid sutor vltra crepidam, sartor vltra acum, mendicus vltra peram sapit? Quid textor, in hypogæo suo, potest de arcanis regis Galliæ, Hispaniæ, Imperatoris censere? Magnum habet discrimen fæx & rex. Ad talem proinde meritò ait Christus: *Medice,*

Luc. 4. 23. *cura teipsum.* Et illud: *Quid vides festucam*

Matth. 7. 3. *in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?* Si Principes rem rectè non gerunt (vt tu putas) fortè tu in caussa es. Audi Ie-

Ierem. 4. 5 remiam. *Annunciate in Iuda, & in Ierusal.*

*auditum*

*auditum facite: loquimini, & canite tuba, in terra: clamate fortiter, & dicite: Congregamini, & ingrediamur ciuitates munitas, leuate signum in Sion. Confortamini, nolite stare, quia malum ego adducam ab Aquilone,* è Suecia, *& contritionem magnam. Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se leuauit: egressus est, de loco suo, vt ponat terram tuam in solitudinem: ciuitates tuæ vastabuntur, remanentes absque habitatore. Super hoc accingite vos ciliciis, plangite, & vlulate: quia non est auersa ira furoris Domini a nobis. Et erit in die illa, dicit Dominus: Peribit cor regis, & cor principum: & obstupescent sacerdotes, & Prophetæ consternabuntur.* Propter superbiam itaque & impœnitentiam populi Deus cor regis, & cor principum sinit perire. Quanquam & hi ipsi sæpe innocentes, nocentûm audacissimis judicijs, linguis, calumnijs appetantur, vt tantò maior sit eorum patientia, quantò ipsi maiores, qui cùm nôrint suos Momos, & Carpos, eósque, velut impudentes muscas, aut humi repentes vermiculos, obterere vno digito pedis possent, tamen dissimulant, ac leonis instar contemnentis catellorum latratus, surda aure prætereunt.

VII. In propriũ igitur sinum inspice tu, ô quisquis

ALFONSI SVPERBIA CVM VVLGI SVPERBIA COLLATA.

quis es, qui Imperatori, qui Regibus, & Principibus, belli, aliarúmque caussas miseriarũ temerè ascribis. Si enim regis *Alfonsi* superbia ita Deo displicuit, vt, ad illam humiliandam, belli mala aliósque illi tot calamitatũ manipulos immitteret: quid non est facturus, si non vnum, sed multos, sed prope innumeros; si non regem, sed plebem videat odiosissimè superbientem? Siquidem tantò maior est superbia, quantò minor ipse, qui superbit: cùm scriptura dicat. *Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum. Pauperem superbum: diuitem mendacem: senem fatuum & insensatum.* Certè nimis vanè superbit, qui nullam habet caussam superbiendi. In hoc solo superbia non est superba, quia etiam apud vilissimos non dedignatur esse. Non opus est ergo caussas bellorum, apud Principes quærere; in nostro etiam illæ agro crescunt. 1. *Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices*, ait. Si ergo *Alfonsus* diuinam sibi iram concitauit, dum subditos superbè censuit, & contempsit, quid, apud Deum non merebuntur, qui Principes spernunt, quos velut deorum loco habere deberent? 2. Meruit *Alfonsus* bello, & in omnibus rebus esse infelix, quia, cùm magno esse-

Eccli. 25. 3.

Exod. 22. 28.

ſet ingenio, conſilia reſpuit aliorum: ah quid non merebuntur ſimplices, indocti, imprudentiſſimi, qui mille caſibus intricati, non dignantur, vel ipſum Confeſſarium interrogare? qui monentem, docentem, concionantẽ rident? qui indignantur, quoties malè feciſſe dicuntur? Eò ſuperbia venit, vt ſerui & ancillæ dominos & dominas; diſcipuli magiſtros, liberi parentes ipſos non ampliùs audiant patienter; ſed pro vno verbo centum reponant; & verò etiam, ſe rem præclarè tum geſſiſſe glorientur. Eò proceſſit rerum diuinarum neglectus, vt nec quid credere oporteat etiã adulti ſciant, nec interrogent. Quærunt, in via, ex omnibus obuijs, quò ſit eundum; & non quærunt, in via æternitatis. Ipſi ſibi ſunt ſenatus; ipſi duces, ſed cæci. 3. Olim Phariſæi, & hypocritæ, tanquam ſuperbiæ exemplar narrabantur, qui dicebant: *Ieiuno bis in ſabbato: decimas do omnium, quæ poßideo:* & qui alias virtutes vel iactabant, vel dilatabant: iam, hoc cæciſsimo ſeculo, ita peruerſa iudicia inualuerunt: vt homines erubeſcant, ſi dicantur cilicium geſtaſſe; de Deo, & animæ ſuæ ſalute egiſſe, aut pij fuiſſe: glorientur autem, ſi pro atheis, pro blaſphemis, pro graſſatoribus, pro adulteris, pro magnis

Luc. 18. 12

magnis potatoribus habeantur. An non hoc est, *Alfonsum* superbiâ superare? an non hostes mereri & bella, ac impedire pacem? *Super hoc accingite vos cilicijs, plangite & vlulate, quia non est auersa ira furoris Domini à nobis.* Auertetur autem, si nos viderit, esse verè humiliatos. Ita enim cùm anno quinto regni Roboam ascendisset *Sesac rex Ægypti in Ierusalem, (quia peccauerant Domino) cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitũ; nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Ægypto &c. cepissetq́ ciuitates munitissimas in Iuda,* per Semeiam Prophetam dixit Dominus: *Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac. Consternatiq́ principes Israel, & rex dixerunt: Iustus est Dominus. Cumq́ vidisset Dominus, quod humiliatus esset, factus est sermo Domini ad Semeiam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos.*

Ierem. 4. 8.

2. Paralip. 12. 2.

VIII. SVPERBORVM DIFFICILIS CORRECTIO.

Vtinam sic humiliatus esset etiam *Alfonsus!* cui tot plagæ, non alia de caussa inflictæ sunt, quàm vt essent medicinæ. Sed, vt in magnis morbis, ipsa pharmaca vertuntur in venena, ita in *Alfonso* castigatio fuit, non emendatio, quidquid huc vsque ei est inflictũ. Multi ægroti medicum differunt: sed serò is venit, quando iam anima sub dentibus est.

Hinc

Hine rectè, Satyricus ait: *Venienti occurrite morbo.* Luctanti cum morte, *serò medicina paratur*, seráque est in fundo parsimonia. Quanquam, apud Deum, nemo serò agit pœnitentiam, quandocumque illam agit: modò ictus sapiat. Pulsat Deus apud omnes, iuxta illud *Ecce sto ad ostium & pulso.* Qui habent *aures audiendi*, aperiunt illi ianuam cordis sui. Et intrat, & mansionem apud eos facit. Qui aures occludunt, *sicut aspis* ad incantationem, sponte non audiunt: quare eum millies pulsantem volentes excludunt, & cum ignominia, totas noctes, sub prunia stantem, ante fores relinquunt: vt conqueri meritò dicéreque possit: *cincinni mei pleni sunt guttis noctium.* Sed & ipse cur vicissim eos, cum virginibus fatuis, non excludat? Meritò excluderet, non tamen excludit, nisi gratiam illius excludentes. Quare hoc est malos inter & bonos discrimen, quod inter asperas rupes & terræ bonæ glebam. Imber cadit & super saxa, & super mollem terram. In saxis nihil, in terra molli multum efficit. Ita diuina sapientes, quandocunque à Deo feriuntur, aut aduersis exercentur, in se ipsos descendunt, & inquirunt, quid in eis diuinus oculus viderit castigatione dignum. Impij autem, & qui in

Apoc. 3. 20.

Psal. 57. 5.

Cant. 5. 2.

Matth. 25

in profundum venerunt, neque infamia, neque reprehensione, neque infortunijs, neque morbis ipsis corriguntur. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum : qui autem rectus est, corrigit viam suam;* & *Peruersi difficilè corriguntur.* Dicas illis, quid quid velis; facias, quidquid possis, lapidi loqueris, lapidi facis: oleum & operam perdis. Quod & *Alfonso* accidit, cuius superbia vt incendium creuit, conscientia callum obduxit, pectus in adamantem obduruit: contempsit monentes, non sensit tangentes, ipsos duritiâ vicit ictus malleorum. Non cuduntur, quæ non molliuntur.

Prou. 21. 29.
Eccles. 1. 15.

## PARS SECVNDA.

IX.
Eccl. 10.
SVPERBIAE FRVCTVS.
1. Timoth vlt.

QVàm verè dixit Ecclesiastes? *Initium omnis peccati superbia?* Quamuis enim, si executionem peccati spectemus, & id quod præbet occasionem adimplendi omnia peccati desideria, sint diuitiæ, atque ea propter ab Apostolo, dicatur *radix omnium malorum est cupiditas;* superbia tamen, ordine intentionis, est *initium omnis peccati:* cùm finis, *in omnibus bonis temporalibus acquirendis* sit, *vt homo per illa, quandam perfectionem singularem & excellentiam habeat;*

S. Thom. 1. 2. q. 84. a. 2.

&

*& ideò, ex hac parte, superbia, quæ est appetitus excellentiæ, ponitur initium omnis peccati*, vt S. Thomas docet. Superbiæ autem est, vt, qui per eam supra se ipsum indebitè extollitur, nolit vlli superiori, adeóque neque ipsi Deo subijci; atque idcirco potiùs conetur omnibus dominari, ac subiectos sibi facere: vsque adeò, vt quemadmodum amor Dei descendit vsque ad contemtum sui, ita vicissim amor sui ascendat vsque ad contemtum Dei. Quod in *Alfonso* luculentissimè fuit ostensum. Nam, suo se pede non metiens à judicij sui nimia æstimatione, ab immodica laudum siti, à contemtu aliorum, eò progressus est, quò vel Ethnici progredi noluerunt; vel, si progressi sunt, graui censurâ digni æstimabantur. Hinc, teste Capitolino, Maximinus iunior, in salutationibus, superbissimus dicebatur, quia senatoribus genua, nonnunquam etiam pedes præbebat osculandos, quod nunquam passus est senior Maximinus, qui dicebat: *Dij prohibeant, vt quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Cùm pater plerisque honoratis assurgeret, ille residebat. Quæ maiestas illi non cessit in gloriam; absentium linguas, præsentium ciconias merebatur. Fuisse eiusdem gradus superbiam etiam in hoc

S. Augustin. l. 14. de ciuit. c. vlt.

Capitol. in Maximino Iuniore.

nostro

nostro rege Annales memorant. Habebat enim *Alfonsus* fratrem Henricum, Hispaniæ Infantem, qui quia aliquando *Alfonsum* non visus est satis honorasse, quia manum regis noluit osculari, exilio facinus luit, & quidem exilio diuturno: nam toto *Alfonsi* tempore exulauit. Tantæ impatientiæ est superbus. Adeò supercilium attollit. Ita repente cornua erigit, & vibrat ad percutiendum. Quia pileus ei non deponitur; quia non assurgitur; quia non aspicitur vultu sereno; ob vnum verbum sinistrè intellectum; ob maleuoli falsam relationem, pugni pruriunt, dentes frendunt, pugio minatur, animus extrema machinatur. Non enim solùm pronus est in vindictam, sed etiam nullum scit habere vindictæ modum. Cuius rei documentum illustre est Aman, ante quem, tanquam semideum, cùm non flecteret genua, neque adorare eum vellet Mardochæus, aulici ceteri *nunciauerunt Aman. Quod cùm audisset Aman, & experimento probasset, quòd Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas: audierat enim, quòd esset gentis Iudææ, magisq́; voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.* Quod hodiéque

Esther. 3. 5.

diéque crebrò fit. Sæpe enim, ob vnum di-
ctum patris, filij, & nepotes, & tota familia
ex aulis, officijs, regnis excluduntur. Ac, ne
sit opus longè ad aulas excurrere, quoties,
ob vnius Religiosi iustissimum zelum, homo
superbus, totum ordinem vult esse extirpatū?
Noluit tolerare hæresin, noluit approbare
iniuriosissimum, & pauperibus iniquissimum
Pactum, Decretum, inuentum: illicò iuben-
tur omnes exesse, illicò mittuntur ad Gara-
mantes, & dirissimis imprecationibus vsque
in piperis patriam, aut in Calecut relegantur.
Immò non est opus tanta offensione, puer
intus & in cute nequam, ob supinam in
scholis negligentiam, ob assidua mendacia,
ob caninam impudentiam leui brachio cædi-
tur; & cæsus, iniuriam, tota vita, nequit ob-
liuisci; vbicunque potest, de fama totius reli-
gionis detrahit, impedítque omnes eius co-
natus in salutem animarum excogitatos; ne-
que veretur medicos suos eius ipsius pestis
infamia inficere, qua eum conati sunt libera-
re; similis Valeriano, qui Ireneum & Abun-
dium martyres in cloacam detrusit, quòd S.
Concordiæ corpus inde extaxissent. Sed de
hac Alfonsi & imitatorū eius superbia satis.

X. Aliam audite, & perpendite, an non su-
perbia,

SVPERBIAE APEX CONTEMPTVS DEI. perbia, ab amore sui, vsque ad contemtum Dei ascendat? Charem Plutarchus refert fuisse quendam, qui in bello Cyrum vulnerauerit, succisâ poplitis venâ. Hic tanta illati vulneris arrogantia exultauit, vt insaniâ corriperetur. Insaniunt hoc pacto multi arrogantes. Sed non est hic summus superbiæ gradus. Habet insania fastigium altius. *Non est maius peccatum, quàm apostatare à Deo,* ait S. Augustinus, *quod est initium superbiæ hominis. Et verè iste immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret, quia hoc est vltimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.* Mæandro fluuio, vt in fabulis est, duo fuêre filij, quorum Babys solitus est vnica tibia canere, Marsyas duabus, Phrygio more. Cùm autem suum vterque chorum haberet, & Babys inscitè tractaret tibiam, frater eò insolentiæ elatus est, vt Apollinem quoque præ se contemneret, à quo proinde fuit excoriatus. *Alfonsius* cùm alijs litteris, tum etiam inprimis Astronomicis delectabatur, in quibus adeò profecerat, vt *Astrologus* appellaretur; cuius nomine ac scientia *tabulæ Alfonsinæ,* & aliæ Astrologicæ collectæ circumferuntur. Meminisse igitur debuisset illud: *Non glorietur sapiens in sapientia sua.* Sed glo-

S. Augustin. in Psal. 19.

Ouid. l.6. Metam. fab.3.

Ierem. 9. 23.

riæ

riæ cupiditas præualuit. Nullæ scientiæ sunt Mathematicis euidentiores: nullæ, nisi intra terminos suos maneant, periculosiores. Hinc, etsi Apostolus dicat, vniuersim, *scientia inflat*; nulla tamen huic vitio magis est obiecta, quàm quæ, quia ortus atque obitus siderum, solis lunæque defectus certò potest prædicere, tandem etiam, curiosorum vitio mortalium, labitur in vaticinandi ac de liberis hominum negotijs futura enunciandi temeritatem. At Alfonsus, tanquam Hyperidæ discipulus, in astris non mansit, sed vt in prouerbio est, Oromedontis iugum adnitens superare, supra ipsa etiã astra se se efferens illũ imitatus est, qui sicut gemmatus pauo per campos, aut quemadmodum Sybaritæ per plateas, & prorsus Iunoniũ ingrediens dixit: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altißimo.* An non hoc est, *Maiores pennas nido extendisse?* Fecerunt & homines istud. Nam Caius princeps se ipsum inter Diuos retulit, & *Iouis maximi* nomine statuas erigi sibi imperauit. Sapor rex Persarum, teste Herodoto, vocauit se *regem regum, participem siderum fratrem solis & lunæ.*

1. Cor. 1. 31.

1. Cor. 8. 1.

Theocrit. in Thalia.

Isa. 14. 13.

Herodot. lib. 2.

Salmo-

Salmoneus tonitrua mentitus eſt, vt diuinitatis opinionem ſibi vendicaret. *Primus*, inquit Euſebius, *Domitianus Dominum ſe, & Deum appellari iuſsit.* Nunc & ſutores propemodum *Domini* eſſe volunt; magnates etiam propemodum cupiunt pro dijs haberi. Menecrates quoque medicus, quos ſanauerat, iubebat ſibi *Iouis* nomen dare. Sic mortales ſe Deo immortali æquauerunt. An non inordinatus eſt propriæ excellentiæ amor, velle ita excellere, vt iuxta Deum ſedeas, atque Deo ipſi ſimilis videaris? Poteſtné ſuperbia eſſe maior, deteſtabilior, & magis à natura abhorrens? Poteſt. Nam ipſe etiam diabolus in ſuperbia proficit. Olim voluit eſſe ſimilis Altiſſimo; iam etiam ſuper ipſum vult Altiſſimum aſcendere, & Altiſsimo altior eſſe: immo ſibi Altiſſimum ſubijcere, & eò adigere, vt ante tam ſuperbum ſpiritum ſupplex proſternatur; ait enim: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* In hunc apicem emergit ſuperbia: vt creatura à Creatore velit adorari. Diabolica hæc eſt ſuperbia, inquies. Planè diabolica, ſed etiam hæc eſt in homines deriuata, nec tantùm in Antichriſto inuenienda, ſed etiam in *Alfonſo* rege inuenta. Neque enim tantùm, more ceterorum arrogantium

Matth. 4. 9.

2. Theſſal. 2.

gantium, qui se simulant ditiores, doctiores, & fortiores, quàm sint, & ea se facturos promittunt, quæ præstare nequeunt, sed longè supra hos superbiebat. Vt enim Menecratem quædam curationes, quæ illi feliciter cessebant, adeò superbum fecerunt, vt se *Iouem* & vocari sineret, & se ipsum vocaret: ita *Alfonsum* fastus supra ipsum Deum extulit. *Hic Alfonsus*, ait author, *diuina opera, quæ perfectißima sunt, & cum summa sapientia, pondere, numero, & mensura creata, iudicare & emendare conatuss est, ore enim blasphemo dicebat palam: Si à principio creationis humanæ Dei altissimi consilio interfuisset, nonnulla meliùs ordinatiusq; condita fuisse. O vana, ô funesta, ô superba atque inutilia verba! Non sic Dauid sentiebat dicens: Mirabilia opera tua, Domine, & quis cognoscet nimis? Et iterum: Quàm magnificata sunt opera tua, Domine? omnia in sapientia fecisti. Et sapiens: Omnia opera Dei bona, nec est qui addat. Nam & Redemtoris testimonio, ipse Salomon cum tota sapientia sua, qui cuncta ab hyssopo vsque ad cedrum perscrutatus est, minimum Dei opus, nec intelligere, & multò minùs iudicare est ausus, inquiens, cum me verterem, a[d] cogitandum opera Dei, vidi esse afflictionem spiritus, & vanitatem, cum non poßit homo illa explicare sermone.*

4. Roderic. Sant. p. 4. c. 5.

XI. Ingens igitur, monstrosa, & prorsus diabolica fuit Alfonsi superbia; Deo execrabilis, iuxta illud: *Arrogantiam & superbiam ego detestor*: & hominibus despicabilis: *cùm omnis arrogantia odiosa est*, ait Cicero, *tum illa ingenij atque eloquentiæ multò molestißima*. Quàm vtinam, sicut omnes ex animo, nunc his auditis detestamur, ita etiam non imitaremur! *Profectò hoc sic est, vt puto*, ait Comicus, *omnibus nobis, vt res dant sese, ita magni atque humiles sumus*. Nec docti tantùm superbiunt, sed illi quoque, qui ne tria quidem Stesichori nôrunt, non supra ingenium modò, sed supra naturam quoque sapere se arbitrantur. Sunt, & sunt profectò non pauci, atque vtinam non etiam de præsentibus nonnulli essent, qui Momum agunt, ac supra ipsum sese Deum (quod de Antichristo prædicit Paulus) efferunt, & se ipsâ, diuinâ, increatâ, immensâ sapientiâ existimant esse sapientiores, Deique opera censent se facturos fuisse meliora. Itaque illa sacrilego iudicio temerare, & stultisima mente quasi emendare conantur, ad modum *Alfonsi*, qui fortè si interrogatus fuisset, in quo emendare voluisset opera Dei, nihil aliud dixisset, quàm quòd hanc stellam in Austrum, illam transposuisset in Aquilo-

HOMINVM SVPRA DEVM SESE EFFERENTIVM SVPERBIA. Prou. 8, 13

2. Thess. 2. 4.
2. Cor. 10. 5.

Aquilonem. At multi longè censent grauiora, & plura, homines verè Bombylij, & Ardeliones. Quoties enim audimus dicentes: *Quare Deus homines condidit, si aliquos voluit damnare? Quare Euam permisit tentari? Quare diabolum non coërcet, ne tot mala mundo inducat? Meliùs fuisset, si homo peccare non potuisset: si omnia fausta & læta, & nihil triste fuisset. Ego, si Deus essem, Infernum extinguerem: Confeßiones tollerem; Non permitterem, vt homines ieiunijs & alijs corporis castigationibus se vexarent: Ego, si Deus essem,* ait alius, *Ioannẽ, Paulum, Leonardum non sinerem viuere. Vt quid enim terram occupat?* Denique sunt qui putant, sibi à Deo iniuriam fieri, quòd non sint nobilioribus parentibus, & in fortunas ampliores nati: quòd non ingeniosiores, corpore valentiores; quòd curui, manci, lusci, calculosi, aut alio genere morborum ægroti: alij mallent esse longiores, alij breuiores: alij vellent sibi barbam datam, alijs sua barba, alijs aliud non placet: voluissent priùs se à Deo interrogatos, & consultos, qualem formam vellent habere. Denique quoties tristamur nimis, quòd victum nostrum exercitũ audiamus, aut quòd non omnia succedant, iuxta nostram voluntatem? &c. Nonne hoc

eſt dicere: *Si à principio creationis humanæ Dei altiſsimi conſilio interfuiſſem, nonnulla meliùs ordinatiusq́; condita fuiſſent?* Nonne hoc eſt ſupra aſtra Dei conſcendere? Nonne hoc eſt ſe exaltare, & mereri humiliationem? vt cum Lucifero ruant, qui cum Lucifero criſtas erexerunt? Nonne meritò, Angeli, dum hæc
Iob.40.6. audiunt, dicunt: *diſperge ſuperbos, in furore tuo, & reſpiciens omnem arrogantem humilia?* Et, ſi vultis audire ſcelerum extrema, putatis, ſolum diabolum velle, vt Chriſtus *cadens adoret eum*? Etiam hodie homines tam inſolentes, & impudentes inueniuntur. Quid? an non dicere audent? immo, quod plus eſt, reipſa volunt, vt non illi Dominũ, ſed vt Dominus ipſos adoret? Vultis, vt digito eos demonſtrem? Vos ipſi eos poteſtis cognoſcere, palam illos videtis. Numquid templum factum eſt, vt in illo Chriſtum, in SS. Euchariſtia præſentem, adoremus? At ſunt, qui ad templum eunt, in quo, quaſi nihil haberent, pro venia peccatorum, pro gratia hac & illa, pro parentibus & amicis, exorandum, in templo non ſolùm, ſine omni ſenſu, ſine omni pietate ſtant, vt ſtatuæ & ſaxa, verùm etiam, qui ibi manibus nugantur, linguis fabulantur, oculis libidinantur. Itaque templum illis debet

bet seruire, non Deo: immo Deus debet ipse officia, sacra, vesperas in templis ad suum honorem institutas pati, vt à se transferantur, & talibus templorum violatoribus, ad aspectus impuros, ad sacrilegè garriendum, ad nescio quæ infanda cogitanda, sint locus, & occasio, seruiántque volentibus peccare. Lustra alij, & lupanaria adeunt, qui talia meditantur, isti templa, non iam Numinis, sed Veneris gymnasia. Quid dico? ipse tunc præsens Deus, debet istorum esse auditor, & quasi ibi non jam cælestes aquilæ, ad diuinum illius corpus, in SS. Eucharistia, adorandum, sed corui ad strebulas carnes deuorandas congregarentur. Neque hoc semel fit duntaxat, sed sæpe, sed à quibusdam semper, vt & de *Alfonso* scribitur, eum blasphema illa sua verba sæpe repetiuisse.

XII. SVPERBORVM DAMNA, ET HVMILIVM LVCRA.

Quid rex faceret mancipio, à quo videret, rebellione excitata, se de throno deijci, purpura atque sceptro exui, regno spoliari? Nihil simile moliebatur Saulo Dauid, sed quia eum æmulum suum esse putabat, quot non modis eum est persecutus? Quare, cum, more gigantum Iouem de cœlo deripere conantium, superbi Deum ipsum oppugnent, Deus alioqui mitissimus, & ad veniam paratissimus

 seue-

1. Petr 5.5 Iac. 4. 6. seuerissimè *superbis resistit*. Quod statim fecit ab initio, cùm Luciferum Angelorum omnium pulcherrimum è summo cœlo, ad ima Tartara deiecit. Quid faciet homini superbia & arrogantia Luciferum ipsum superanti? Heraclius Græcorum Imperator receperat crucem à Cosroë Persarum rege, perpetuæ pacis pignus, in qua Redemtor humani generis Christus pependerat, eamque Hierosolymis magnifica pompa inferre parabat. Ergo habitu Imperatorio crucem humero baiulans ad vrbis portam peruenit, sed in vestigio cõsistens, diuina vi cohibitus pedem nusquam mouere potuit. Proin admonitus à Patriarcha, vt vili habitu, nudisque pedibus gestaret crucem eius Seruatoris, qui nudus pro nostra omnium salute cruci affixus esset; statim abiectâ purpurâ, sumtóque sacco, ac nudis pedibus crucem potuit sustinere, promouere gressum, & tendere quò volebat. Huius facti memoria solenniter quarta decima Septẽbris celebratur. Hoc est, quod S. Petrus, & S. Iacobus pronunciant: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Vt enim Heraclio superbè, & more duntaxat imperatorio incedenti, vrbem Hierosolymitanam ingredi non licuit, quæ vili habitu ac nudis pedibus

Egnat. lib. 1. c. 6. & Bonfinius l. 8. dec. 1.

bus crucem baiulanti aperta atque peruia fuit: ita tumentibus animis non patent cœli portæ, nimis angustæ ansatis hominibus, & qui phylacteria sua dilatant, cum tot fimbrijs, & paludamentis venientes. Alij, qui nôrunt, quàm arcta sit via, etiam centones abijciunt, vt nudi nudum Christum sequantur. Illuc Epulo diues, ventriosus, purpurâ indutus non potuit ingredi, Lazarus autem fame & macie extenuatus, nec saccos pecuniarum secum ferens, vtpote mendicus etiam ab Angelis eò est portatus, facilem habuit sine sarcinis ingressum. Hanc ob caussam tot insignes ingenio, nobilitate, diuitijs iuuenes, abiectis vestibus pretiosis, saccum induerunt, &, relictis diuitiarum impedimentis, per angustam cœli portam, nudi atque omnibus oneribus liberi intrare maluerunt, quàm cum lato clauo, bullati, & torquati, & chlamydati, mitti in gehennam. Qui fructus est timoris. Luc. 16. 23.

XIII. DEVS VEL HOSTEM SVVM ALFONSVM MONENS.

Sed longè maior fructus est amoris. Quid enim non velle facere par est hominem, qui vel micam in se habet rationis, si videat, Deum etiam istos ipsos humanos Luciferos, quibus tam proterue contemnitur, superbè ridetur, & quodammodo potestate sua autho-

authoritateque plusquam sacrilegè priuatur, adhuc non contemnere, neque deserere, sed ad pœnitentiam vocare, & inuitare? *Magna est miseria superbus homo,* ait S. Augustinus, *sed maior misericordia humilis Deus.* Audite, quid *Alfonso* tam sacrilegè impio acciderit. Miles erat, in aula regis, *Petrus Martini de Pamplicga.* Hic, præter communem militum morem, ita modestus in verbis, in opere castus, in poculis temperans, in colendo Deo frequens, ab omni blasphemia & rapina abstinens erat, vt in castris facere id, quod Religiosi in claustris, diceretur. Ob hos mores è militiâ euocatus est ad aulam, & curam Infantis Manuelis gerendam, cuius instructor fuit adeò eximius, vt eum linguâ & vitâ, doctrinâ & moribus erudiret, neque ob indulgentiæ socordiam Dei iudicium timeret. Huic ergo aliquando dormienti iuuenis cœlestis elegantiæ apparuit, cuius vestis non calcatâ niue candidior, & vultus ipso splendidior Hespero, nocturnas tenebras clarissimè illustrauerat. Hic iuuenis coram assistens ei dixit: *latam esse, in diuino consistorio, contra regem Alfonsum, sententiam, vt exhæredatus moriatur, sed & crudeli morte, nisi pœniteat.* Exterritus hoc viso & dicto miles caussam quæsiuit:

S. Augustin. de catechizant. rudibus.

uit: cui Angelus respondit, *blasphemiam Alfonsi, vanamq́ temeritatem diuina opera corrigere molientis id meruisse.* Et mandatum adiecit, *vt ad regem accederet, eumq́ ad pœnitentiam hortaretur.*

Intelligitis, quanta sit bonitas Dei, in flagitiosissimis etiam peccatoribus ad pœnitentiam vocandis? Vix credere potest tantam Dei patientiam, qui nescit quanta sit eius erga homines dilectio. *Incredibilis est vis amoris, si potentiæ coniungatur*, ait S. Gregorius Nazianzenus. Cum autem & amor, & potentia Dei sint infinita, fit vt immensa eius charitas illum perducat ad hominum salutem quærendam & procurandam, per media, quæ non nisi infinita sapientia excogitare, nec nisi omnipotentia exequi potest. Quid mirum, si Deus Angelum ad militem, militẽ ad *Alfonsum* misit? Si ipse natura inuisibilis, homo visibilis fieri voluit, vt *peccatores vocaret*, vt velut *bonus pastor* ouem perditam in humeros imponeret, atque ad reliquum, in cœlo, Angelorum gregem portaret? Quanta autem diligentia, quot laboribus, per quot tormenta nos quæsiuit, totos triginta tres annos circumiens, noctes orando, dies concionando consumens, & cum hominibus

XIV. IMMENSA DEI MISERICORDIA.

S. Gregorius Nazianzen. in vita sua, quā ipse scripsit carmine.

Luc. 5. 32.

Matth. 18. 12.

conuersando? quos beneficijs, & miraculis ad se pertraxit; pro quibus, in gratiarum actionem, est crucifixus. Et tamen etiam crucifixus, pro crucifixoribus orauit. Hoc fecit in terris præsens. Postquam in cœlos ascendit, Apostolos, Euangelistas, Doctores misit; & mittit quotidie alios aliósque exhortatores, immò, vt ait S. Prosper, *vnumquemque hominem varijs modis vocat. Aliquando,* inquit S. Gregorius, *eos vocat per seipsum, aliquando per Angelos, & interdum per homines suos ministros.* Veréq; scripsit S. Augustinus, quemcunq; ad Deum conuersum *trahi miris modis.* Quàm enim mirabilis fuit ille modus, vt Petrum Martini de Pampliega ad *Alfonsum?* militem ad regem mitteret? Non est alioqui militum de pœnitentia concionari. Sed hac ipsa de caussa tantò debuit eius esse efficacior oratio, quantò insolita magis solent percellere.

S. Prosp. l. 2. de vocat Gent. c. 62.
S. Greg. hom. 36. in Euang.
S. Augustin. lib. 1. contr. duas epistol. Pelag. c. 29.

XV. MILITVM PIETAS, ET DVRITIA PRINCIPVM QVORVNDAM.

Negari non potest, milites sanguini ac cædibus assuetos sæpenumero esse à pietate alienos, nec enim Maro eos vocat tantùm *barbaros,* verùm impios quoque dum ait:

*Impius hæc, tam culta noualia, miles habebit?*
*Barbarus has segetes?*

Virgil. Eclog. I.

Sed

Sed temerè iudicat, qui id de omnibus censet. Multi etiam eorum de salute sua solliciti sunt, multi æquè pro Deo, ac pro domino, cui iurârunt, pugnant, aliósque monent, vt à blasphemijs, ac rapinis, aut impietate desistant. Quare etiam hic miles *Petrus de Pampliega*, angelo paruit, atque nullâ morâ interpositâ, ad Regem *Alfonsum* Burgis commorantem, adijt, petitáq; audientia, id quod viderat audieratque, imperterrita voce liberè exposuit, regem seriò commonens, vt tam vecors dictum, ex animo, & cum debita pœnitentia, retractaret. Carolum V. aiunt, vel aliorsum à quodam milite missionem petente, dicentéque, tempus esse iam non de hostium, sed de sua morte cogitandi, relatam recessus huius caussam, sibi in documentum rapuisse. At *Alfonsus*, cui *robur & æs triplex circa pectus erat*, ita *preualuit in vanitate sua*, vt militem, ab Angelo, ad se missum & derisui haberet, & à se, cum dicterijs expelleret, identidem sacrilega illa repetens: *Si tempore creationis humanæ interfuisset, plurima meliùs ordinari potuisse.* Ah magni domini, quàm magnis in periculis estis, si mali estis? alij, si peccant, puniri possunt, & corrigi authoritate; vos quoties ne admonitiones quidem sustinetis? Famian. Strada l. 1 hist. Belg.

Et

Et vos etiam, quicunque in peccatis & consuetudine mala induruiſtis, ſilici ſimiles eſtis, non ſpongiæ; hæc enim aquam ſuperfuſam imbibit; ille in interiora non admittit. Hoc

Prou. 21. 29. eſt, quod Salomon ait: *Vir impius procaciter obfirmat vultũ ſuum: qui autem rectus eſt, corrigit viam ſuam.* Quod ſæpe fit, in vna concione, dum alius recedit compunctus; alius totus durus, quaſi ad ſe nihil pertinuiſſet eorum, quæ dicebantur; & plerunque illi ipſi, qui maximè medicina indigerent, eam ſibi minimè ſolent applicare. Lapides ſunt, cor Riphæis ſaxis durius circumportant. Nec Deum audiunt, nec à Deo miſſos; ſicut idola, quæ *aures habent, & non audiunt; oculos, & non vident.* Hinc magni in mundo errores, & grandia Principum peccata, quorum rugas & vultum, quorum impatientem ſuperbiam, quorum minas & indignationem dum plerique metuunt, ex animi ſui ſententia conſulere non audent. Andronicus Imp. *Diſſipatum Georgium, magni templi lectorẽ, propterea quòd de Imperatoris ſæuitia liberiùs queſtus eſſet, in carcerem coniectum, in animo habuit, verubus transfixum & pinguem hominem inſtar porcelli ſupra carbones aſſatum, vxori eius, haud ſcio in quo vaſe (amplum id vtique eſſe oportuiſſet) mittere.*

Nicet. Acominat. Choniata lib. 1. hiſt. in Andron. Comn. num. 11.

*tere.* Quis tales admoneat? cùm non solùm id agat, quod qui Æthiopem lauat; verùm etiam fulmen se ambire intelligat, meritóq; dicere possit: *Procul à Ioue.* Qui humanum consilium omne contemnunt, diuino iudicio sunt relinquendi.

Quid autem talibus faciat Deus? id quod *paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter, &c. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet.* An non hoc & *Alfonso* facere debuisset iratus Deus? Sed videte infinitam illius patientiam & immensam bonitatem, atque obstupescite. Post eliminatum à se militem, *Alfonsus*, non multis elapsis diebus, Segobiæ versabatur. Ibi non procul degebat notissimæ sanctitatis Eremita, cui itidem se stitit Angelus, & ijsdem, quæ militi dixerat, repetitis, jussit eum ad regem ire, ac vel misericordiam, vel iram diui-

XVI. OBSTINATORVM MISERIA. Matth. 21.33.

diuinam denunciare. Eremita, quanto maiore animarum zelo ardebat, tanto celerabat festinantiùs, tantóque calidiùs regem liberiúsq; commonuit, vt tandem seriam de peccatis suis, præsertimque de tam damnatis sacrilegisque verbis pœnitentiam ageret, vel certò diuinam vltionem expectaret. Eremitæ verbis omnia pondus addebant: nomen, vita, fama, pallidus & macie ieiunijsque contractus vultus; oculi, gestus, modestiáque incessus pietatem spirantes: denique ipsa reuelatio, qua sola, in siluis, & ab omni hominũ consortio remotus blasphemiam *Alfonsi* intellexit. Et accedebat modus eum ad pœnitentiã vocandi. Nam, vt S. Thomas de Aquino docet, quemadmodum homo duabus partibus constat, externâ vnâ eáque visibili, corpore; & interna ac inuisibili, nempe anima: ita & Deus iam vocatione interna, iam externa vocat peccatores. Externâ, per socios, per magistros, per confessarios, per concionatores, per libros pios, & per mille occasiones. Hac vocatione vsus est, cùm *Alfonso* militem, cùm Eremitam misit. Nemo hominũ alterũ facilè secundò ad conuiuium inuitat, haud obscurè contemtus & repulsam passus in inuitatione prima. Et tamen Deus hunc

S. Thom. lect. 6. in cap. 8. ad Rom.

tam

tam sibi rebellem atq; aduersum regem, jam antè per alia aduersa, belliquе tristes casus, & per militem generosè pium frustra adhortatus, spretusque nondum à vocando destitit, sed etiam per Eremitæ verba salutem illius constantissimè quæsiuit. In parabola, noctu veniens & tres panes petens, quia pulsando perseuerauit, ipsa petendi assiduitate obtinuit, quidquid voluit. O quàm Deus est vigilans? quàm in pulsando perseuerans? quàm *mirificat misericordias suas*? & nihil obtinet? Verè certat eius bonitas cum malitia hominum: immò hominum quoq; malitia cum eius bonitate. *Si quid in vtres velis infundere boni*, ait Plutarchus, *ventum atque aërem amoueas oportet. Sic fastum ac tumorem eximas oportet ab animo eius, quem velis docere.* Non ergo admittitur sapientia, vbi superbia sedem tenet. Itaque etiam hac vice, ait author, *quia scriptum est, in vanitate cordis sui comprehenditur peccator, Rex ipse Alfonsus, vt alter Senacherib, in blasphemia perstitit; &, vt alter Nabuchodonosor confirmatus est ad superbiam. Quare, testante scriptura, cecidit de solio suo, & gloria eius ablata est. Eremitam igitur rex toruo iratoq; vultu contemsit, & vt insipientem abire iußit, iterum verba illa nefanda repetens;* Luc.11.18. Psal.16.7.

*Holorfer-*

*Holofernem imitatus Achior increpantem, quia soli Deo potentiam attribuebat.* Quid putatis tunc optimo Eremitæ animi fuisse? cui, præ diuini honoris, & animarum Zelo, cor propemodum diruptum fuisset? Sed fecit, quod plurimi hodieque facere coguntur Confessarij, ac Patres spirituales, qui, prô dolor! nimis sæpe, frustra suos (spiritualésne dicam, an filios Belial?) admonent, & vident eos induratos, ac in reprobum sensum datos, nec secus ac si in cribrum aqua infunderetur, ita transmittere illico per vnam aurem, quod per alterã intrauit; & esse, velut omni amoris diuini calore extincto, glaciatos, quos nullis iaculis amoris, nullis beneficijs, nullis donis, nullis admonitionibus potest sermo pius sauciare, aut emollire. O miseri iuuenes! ô somnolenti senes peccatores! ô animæ sanguine Christi redemtæ! quot pro vobis lachrymæ, quot suspiria funduntur frustra? & vos Sardorum more, in vestro exitio ridetis? scalas vobis è cœlo porrectas non aspicitis, aut si iam vnum alterúmue gradum conscendistis, retrahi vos, à quouis socio, repelli ab exigua voluptatula sinitis, sponte eligentes

Apoc. 3. 17. esse infelices. Nemo dicat: *Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo*: nemo dicat:

*Sum*

*Sum felix, quis enim neget hoc? felixq́, manebo:* Ouid. l. 6. Metam.
*Hoc quoque quis dubitet? tutum me copia fecit*
*Maior sum, quàm cui poßit fortuna nocere.*

Si non poteſt nocere fortuna, Deus poteſt, qui *reſiſtit ſuperbis*, premit tumidos, & deijcit eos, qui ſpiritus altos gerunt. Nam vel Seneca teſte,

*Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.* Senec. Herc. fur. Act. 2.

Sed non antè vlciſcitur, quàm monet. Stat ad oſtium & pulſat, vocat vos ad ſe, ô peccatores, immo ipſe intrare vult ad vos. Sed ſurdos vocat, ſed ſtat & pulſat totas noctes, vt *cincinni capitis* illius *ſint pleni guttis noctium.* Vos luditis, vos pergitis in veſtra vanitate. Moniti non auditis; percuſſi non ſentitis; vobis ipſis ſapitis; homines & Deum contemnitis. Nimirum ita eſt, vt S. Chryſoſtomus dixit. *Nihil arrogantiâ atque ſuperbiâ peius, quæ mentis quoq; vires a naturâ hominibus conceſſas ita deijcit, vt amentes ex prudentia, ac animo ſtolidos efficere videatur. Nam quemadmodum ſi quis, cùm ſtatura cubitûs ſit, inſtar montium, immo etiam altiorem ſe putet, ac ideò ſe ipſum quaſi montes exceſſurus erigat, nullum aliud ar-* S. Chryſoſt. hom. 59. in Matth.

*gumentum insaniæ suæ quæremus: sic cùm inflatũ hominem videris, qui meliorem se ceteris arbitretur, contemniq́; opinetur, si ceteris conferatur, nullum aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tantò quippe ridiculosior is est, qui naturâ insanit, quantò ipse hunc sibi morbum iniecit. Nec hac re solùm miser, sed quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat. Quando enim is peccata sua, vt oportet, cognoscet? Quando nimium se delinquere sentiet? Certè quasi vile mancipium, & miserum captiuum diabolus eum abduxit, agitatq́; mille verberibus, & contumelijs, quocunque velit.* Itaque surdas talis aures habet ad vocem Domini; pectore saxeo nullum diuinæ gratiæ semen admittit. Quid igitur; ô filij hominum? *Vsquequo diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vt membrum turgidum ac tumidum vitiosè se habet: ita inflatus animus & tumens in vitio est.* Super humiles spiritus sanctus requiescit, non super eos, qui ventosa gloria, & spiritu superbiæ pleni, locum non faciunt Domino intrare cupienti.

Cic. l. 3. Tuscul. qq.

XVII. IMMENSA NVMINIS MISERICORDIA.

Quid mirum, si toties exclusus, toties reiectus, toties iniurijs vestris irritatus iustissimus Deus, tandem iustitiæ suæ gladium euaginet? si acutas potentiæ suæ sagittas stringat? si mille fulmina expediat in capita tam

obsti-

obstinata? Quòd sanè in *Alfonsum* dudum facere potuisset. Enimuerò & fecit. Nec diu postea ampliùs distulit. Eâdem ipsâ nocte cælum nubes contraxerunt, &, tenebris conduplicatis, cœperunt venti fremere, & *spiritus procellarum* horribilem minari tempestatem. Multi sibi de scelere conscij, cœlo irascente, contremiscunt; *& ad omnia fulgura pallent.* Multi sibi sancti videntur, si tonitrua possunt contemnere. *Fuerit autem quispiam insanus ac doloris sensu vacans, si nihil metuat, neque terræ concußiones, neque fluctus, quemadmodum de Celtis prædicant,* ait Aristoteles. Ad eiuscemodi insaniam peruenit *Alfonsus*, qui sibi videbatur supra Deum esse, etiam nubes animo ac ceruice excedebat, nihiliq́ue faciebat insolitos fremores, & alias super alias tempestates, ac coruscationes exortas. Itaque in lectum, non modò ab afflatu, sed etiã à metu securus, se recipiebat. Meministis, coortis olim frementibus procellis, Ionam dormiuisse? Ita peccator, *cùm in profundum venit, contemnit,* & tanquam Martis pullus dormit, inter ipsa pericula, nesciens se periclitari. Quid facis, ô miser, expergiscere? Sed non potest peccator ex hoc somno surgere, nisi gratia diuina fortiter excitante. Magna

Aristot lib. 3. Moral. Nicom.

Prou. 18. 3.

indiget excitatione, qui in lethargo demersus parum differt à mortuo. Igitur dormiente *Alfonso*, facta est *multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, vox tonitrui in rota*, quasi curru per saxa strepente, *illuxerunt coruscationes orbi terræ, commota est, & contremuit terra*; adeò vt cœlum ipsum cadere videretur. Hunc motum excitat cœlum, cum concionatur.. Excitatus corpore, non motus est mente *Alfonsus*. Feri, ô Domine, feri tam diu tergiuersantem, percute ô iudex, tam durum adamantem? An non meruisset? An non nos homines id fecissemus? At mitissimus Deus, qui Saulum *circumfulsit, vt cadens in terram* Christum agnosceret, etiam hîc fulgure ipso die clariore intermicantes nubes cum ingenti tonitru disrumpens, vno ictu, & maiestatem suam ostendit, & demonstrauit bonitatem. Nam, *rubente dextera*, fulmen iecit; iecit autem in regia tecta; iecit in ipsum *Alfonsi* cubiculum; iecit tamen non in caput, sed in vestes duntaxat regis & reginæ, quas, momento temporis, in cineres redegit, detestando fœtore post se relicto. Hac demum admonitione excitatus è peccati veterno *Alfonsus*, qui minimo minùs basilicè perijsset, exilijt è lecto, & attonitus, ac

Psal. 76. 18.

Actor. 9. 3.

vix loqui valens, per aduolantes jam vltro famulos custodesq; regios, jussit expulsum paulo priùs Eremitam extemplo ad se reuocari. Adeò magnus erat imber, adeò grauis tempestas, vt nullus pedem domo efferre auderet; & mora regi tantò erat molestior, quantò magis timebat, ne proximus quisque fulminis ictus ad se pertineret. Adfuit tamē tandem Eremita, qui regi sibi ad genua accidenti, & dicenti: *Ego sum, qui peccaui,* respondit: *Quis posuit in visceribus tuis sapientiam? nunquid consiliarius Altißimi tu es?* & alia, quæ tempus suggessit. Quibus rex, simul & metu instantis mortis, motus: *cùm magno animi mœrore confessus est, & publicè verba nefanda retractauit.* Hîc mihi vim magnam pœnitentiæ perpendite. Crescebat in pœnitente dolor, oculi lachrymas, pectus suspiria, os superbiam suam accusantia verba fundebant; genua humi fundebantur: palmæ pectus plangebant; totus rex in luctum erat resolutus. Quàm verum est oraculum D. Augustini ita scribentis: *Audeo dicere, superbis vtile esse cadere in aliquod apertum & manifestum peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus displicuit, quando fleuit; quàm sibi placuit, quando* S. Augustin. l. 14. de ciuit.

*præsumpsit. Hoc dicit sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Itaque & Alfonsus grandem superbiam ardenti pœnitentia luit, calidis lachrymis eluit. Quæ quid apud Deum valeant, vel in ipsa quoq; ostensum est tempestate. Dum enim ipse inciperet animo conteri, incipiebat cessare tempestas; & quantò ipse altiùs ingemiscebat, tantò semper magis cœlum tranquillabatur: nec ipse antè à fletu & eiulatu desistebat, quàm procellosa cœli rabies penitus conquiesceret. Ita Deo, sibi, sed nunquam ampliùs regno redditus, vsque ad mortem pœnitens perseuerauit; quam & piè Hispali obijt, veniâ obtentâ, nunquam eam obtenturus, nisi Deum tam misericordem haberemus.

XVIII. HOMINIS MALITIA CVM NVMINIS MISERICORDIA COLLATA.

Ite enim, mortales, & bonitatem Dei, cum superbiâ, malitia, & obstinatione vestra comparate. 1. Afficit vos ille innumeris quotidie beneficijs; vos, quos tanquam luporum catulos alit, illum quotidie afficitis innumeris tam benèmeritum iniurijs. 2. Est in illo infinita sapientia; & huic se stultitia vestra audet anteferre? 3. Benedicit ille vobis; vos mille blasphemias & maledictiones in cœlum iactatis. 4. Immittit ille aduersa, vt corrigat;

gat; vos ipsa castigatione euaditis deteriores. 5. Monet per morbos, per infamias, per clades bellicas, per mortes aliorum; vos hæc omnia nihil ad vos pertinere arbitramini. 6. Mittit ad vos Angelos, mittit homines; monent parentes, monent magistri, monent Confessarij, monent Concionatores; ridetis eos, traducitis, eijcitis; sunt fabula mensarum. 7. Quid tandem debet huic *vineæ facere* Deus? Post tot monitiones, in vna ciuitate tanta crimina perpetrantur, superbiæ, ebrietatis, blasphemiarum, luxuriarum, vt mirum non esset, si, ob illa sola, totum Mundum perderet iustus judex. Quid ergo miramur, si è cathedra fulminat Ecclesiastes? cui dicitur: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam: & annuncia populo mea scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Si mihi, si mei similibus contingit, quod Eremitæ contigit; verendum est, ne Deus ad vltima veniat remedia, ne fulmen vibret; ne exscindat impietatem; & fortasse jam res in eo est. Nam & sua bellis *fulmina* esse, *Scipiadæ* docuerunt. Nonne audistis tonitrua, nonne fulgura micuerunt? Fulmen vicinum expectatis? Nec illud deerit. Vel per hoc finite à peccatis, à consuetudine mala, vos

Isa. 5. 4.
Isa. 58. 1.

deterreri, & ad pœnitentiam tandem vnusquisque confugiat. Quantò quisque vehementiùs de Deo offenso dolebit, tantò citiùs tempestas hæc desæuiet. Quòd si qui sunt ipso *Alfonso* obstinatiores, & neque vestibus suis, & amicis suis, & operibus suis amissis, resipiscunt, aut ad pœnitentiam confugiunt, expectent vltimum illud. & omnium terribilissimum fulmen: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

Matth. 25. 41.

CAPVT

# CAPVT II.

## QVAM DAMNOSA SIT MORTALIBVS AVARITIA, ET INDVLGENTIA CONFESSARIORVM, IN ITALO FOENERATORE MONSTRATVR.


*Multos perdidit aurum et argentum.* Eccl. 8 3. W.K.f.

IOANNES Lorinus, natione Gallus, annos XVI, natus, Societatem IESV ingreſſus, ita in virtute ac litteris profecit, vt Philoſophiam Romæ, Theologiam & litteras ſacras Lutetiæ, Mediolani, Romæ, cum magna laude doceret; Commen- I. HISTORIAE AVTHORITAS.

tarios in Sacram ſcripturam adeò doctos ederet, vt eum hæretici ipſi de eruditione ſummopere commendarent, & recens ſcriptor Henricus Fitzſimon, in Britannomachia appellaret, *Alterum Longinum Caßium ; legendi aßiduitate ſpirantem quandam Bibliothecam ; Ambulans Muſæum, & inter ſcriptores ſolertiſſimos accuratißimum.* De cuius pietate complura recenſet alius author. Quare magnæ & à virtute, & à ſcientijs eſt authoritatis teſtimonium illius. Quod, in narranda mox hiſtoria tres inuenio inſignes viros citauiſſe. Primus fuit Societatis noſtræ Sacerdos, qui hiſtoriam hanc, Bruxellæ coram Sereniſſimo Alberto Auſtriæ Archiduce & Iſabella, in Belgio, pro concione publicè recitauit, affirmauitque, ſe eam ex ore P. Ioannis Lorini audiuiſſe, Lorinumque ſanctè aſſeruiſſe, ſe optimè & perſonam, & locum noſſe, ſed non nominare, ne familiarum honor bonumque gentis nomen violetur. Alter eſt Iacobus Marchantius & Theologiæ Profeſſor, & Concionator celebris, qui eandem hiſtoriam ſuis lucubrationibus inſeruit. Tertius eſt Philippus Doulterman, breuis, clarus & neruoſus ſcriptor, qui illam ipſam hiſtoriam retulit in ſuum Pædagogum Chriſtianum. Eſt autem talis

Philipp. Alegambe in Bibliotheca ſcriptor. Soc. Iesv.

Iacobus Marchãtius in Candelabro myſtico tractaru 5. de 2. impedimẽ-

talis, quæ meritò superiùs de Alfonsi regis fastu recitatæ subijciatur, quia, vt Salustius in Catilinaria ait, *pecuniæ imperijq; libido sunt quasi materies omnium malorum. Namq; auaritia fidem, probitatem, ceterasq; bonas artes subuertit: proq; his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit.* Quoniam igitur *natura mortalium auida est imperij, & præceps ad explendam animi cupiditatem*, vt idem in Iugurtha testatur historicus, operæ pretium erit, damnum illius in exemplo ostendere.

to Confessionis. Philipp. Doulter. in Pædagogo Christiã. part. 2. c. 15. §. 2.

II. PRAVA IVVENTVTIS EDVCATIO.

In Italia, tempore P. Ioan. Lorini, qui primum anno 1634. Dolæ defunctus est, quidã nobili genere oriundus, albæ, vt aiunt gallinæ filius, à parentibus, vt fit, delicatè educatus, in spem posteritatis creuit, &, ne serò malitiam disceret, à puero assueuit vanitati. Sicut enim simiæ simiolos, quos habent charissimos, ita perditè amant, vt eos arctissimè amplexantes comprimentésque occidant; sic plerumque parentes prolem, quam nimis, & vsq; ad insaniam diligunt, perdunt. Stultæ enim matres existimant, à se non amari liberos, nisi illis omnia indulgeant. Quidquid optimi est in mensa, quidquid in penu gulæ arridet, id omne filijs, & quacunque horâ,

horâ, tempeſtiuè intempeſtiuéque ingerunt, ſine modo, ſine menſura. Et, qui parentes pauperi ne detritum quidem calceum donare præ auaritia audent, filiolos ſuos purpura atque auro amiciunt. E cunis ad epulas & compotationes iubent eos apportari; &, cùm adhuc pedibus non poſſunt conſiſtere, jam debent nutricis manibus ſuſtentati, ad muſicam & numeros, ſaltare. At, cùm quiſpiam interrogat, num jam quadrimi Deum orare poſſint? nimis eſſe adhuc teneri dicuntur. Neque, cùm fiunt adoleſcentiores, & guſtare incipiunt ſuauitatem litterarũ, permittuntur in eas ſeriò incumbere, ne cerebrum fatigent, aut ſtudiorum nimio labore caput frangant. At caput non frangunt, cùm duas, tresque noctes continuas peruigilant, atque inter pocula & choreas præ laſſitudine concidunt. Ite, mei parentes, & de nimia filiorum libertate, de licentia morum, de profuſione pecuniarum conquerimini; tales habetis, quales voluiſtis; qualis & iſte Nobilis fuit, qui, quando ad maturam ætatem peruenit, & jam ſui iuris plenè eſſe cœpit; tum verò multò magis indolem ſuam exeruit: nequaquam cochleæ vita contentus, aut frugali menſa, otiari, ludere, epulari, magnis pre-

tijs vestiri, choros instituere & choreas, munera missitare puellis, quin & vxoratis; & quidquid lasciuia amat, id facere, id dies noctésque cogitare cœpit: multóq; postea magis, quando vxorem & familiam duxit. Sed non sine caussa dixit Christus: *Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram:* qui editis, qui bibitis, qui luditis, qui genio vestro indulgetis, qui *cœnas dubias*, qui *populares* quæritis; esurietis enim & sitietis, & plorabitis. *Dei diuites sunt*, ait Comicus, *deos decet opulentia, & factiones: nos homunculi sumus salillum animæ, quam cùm extemplo amisimus, æquè mendicus, atque ille opulentissimus censetur ad Acherontem mortuus.* Quid pompa morituro? quid Attalica vestis, & conscientia verminosa? cur venter vnus absumit, quod sufficeret tribus? Luc.6.24.

III. AVARITIA VSVRAE MATER.

Hæc res sine pecunia non fit. Omnia pretijs suis constant. Vbi ergo vel pecuniæ nihil, vel nimis parum est, & deliciæ tamen pompæque appetuntur, argentum est, per artes, faciendũ, vt lacunæ expleantur. Quas Nobilis iste artes, præ ceteris rebus cunctis, optimè nouerat. Vultis, ô lari hiantes, vultis, vultures, ab illo artes has discere? aut potiùs artes vestras in illo agnoscere? Auaritia enim

ceas, nullo alio magiſtro adhibito, ſatis docet. Eſt etenim *auaritia immoderatus amor habendi,* vt S. Thomas docet; immo, vt D. Auguſtinus loquitur, *eſt quarumlibet rerum inſatiabilis & inhoneſta cupido;* ſeu *opinio vehemens de re non expetenda, tanquam valde expetenda ſit, inhærens & penitus infuſa;* quæ excedit in amando, acquirendo, & retinendo, ſed deficit in dando. Quo pacto non vnum de ſeptẽ, ſed generale peccatum eſt, ſpeciale opes reſpicit, & ab Ariſtotele & Græcis ceteris *Philargyria* ſolet nominari. *Grande malum eſt auaritia,* ait S. Ambroſius, *immo malorum omniũ eſt origo, ſicut ait Apoſtolus, radix autem omniũ malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide. Vides ergo, quia, qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurũ redigit, gratiam prodigit. Auaritia enim cæcitas eſt, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, eſt auaritia, ſed diuerſis fraudum oculata ingenijs: non videt, quæ diuinitatis ſunt, ſed cogitat, quæ cupiditatis ſunt.* Et nonnulli quidem, quibuſcunq; modis poſſunt, aliorum bonis inſidiantur, quia *lucri bonus eſt odor ex re qualibet:* ſiue fraudulentis emtionibus, ſiue vſuris, ſiue furtis, ſiue rapinis opes congerant, perinde illis eſt, qui ſe ſemel Deæ Furinæ conſecrauerunt; in

S. Tom. 2.2. q.118. a.1. S. Auguſtin. l. 3. de lib. arb. Cic. 4. Tuſc. Boët. l. 2. de Conſol. met. 5.

S. Ambr. ſerm. 97. 1. Tim. 6. 10.

Iuuenal. Satyr. 14.

illis

Illis enim *sæuior ignibus Ætnæ Feruens amor ardet habendi.* Charybdes facit omnia absorbentes: gryphes facit auro incubantes: scarabæis similes facit. Vt enim illi ad stercorum, ita auari ad lucri odorem confluunt omnem. Alij tamen in genere tantum certo, auaritiam exercent, dum vel tondent, vel deglubunt gregem, vel vsuras exercent, vel clepunt piceatis manibus. Quemadmodum igitur hirundo muscas in aëre, aranea reti capit; ita quidam alios in campo rapinarũ violentiâ, quidam per occultas fraudes domi inuadunt, & velut spongias exprimunt: nonnulli auaritiam laruâ tegunt, & iustitiæ titulo conantur honestare. De quorum numero Nobilis iste fuit. Is neminem spoliauit, furatus est nulli quidquam, sed, quod multi sibi fas esse arbitrantur, vsuris duntaxat rem auxit; eo se consolans argumento, *quòd hoc pacto multorum mutuo indigentium miserijs succurrat; quòd à volentibus vsuram accipiat, volenti autem iniuria non fiat; quòd vtique pecunia pecunijs mereatur compensari; quòd ita multi & alij ditescant viri magni atque honestatis amantes.* Ceterùm, quia neque doctus, neque valde probus erat, nihil solicitus fuit, quo titulo, pro mutuo, aliquid possit in censum

Boetius lib. 2. de consol. met. 5.

sum

ſum venire; animus enim auaritiâ æger non quæ ſana, ſed quæ deſiderata ſunt, quærit: & *magnitudo pecuniæ à bono & honeſto in prauum abſtrahit.* Igitur iſtud axioma illi ſufficiebat, *tantò ſe feliciorem fore quantò plus à debitore extorqueret;* etiam ante tempus, & non ſolùm ſupra ſortem, ſed etiam ſupra menſuram omnem censûs, juſtis titulis, conceſſi. Sic filij huius ſeculi ſoliciti ſunt de craſtino, immo de re præſenti. Verùm *Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modò eſt*

*Videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt*
*Proſpicere.*

IV. Deuter. 16.19. VSVRAE INIQVITAS. Meritò Poëtæ Plutum cæcum finxerunt: neque enim *munera* duntaxat, *excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum;* ſed omnis etiam auri argentique praua cupiditas, quæ vel à mortuo tributum exigit, & ſepulchra ſpoliat, & æquè retinendo, ac accipiendo peccat, etiam cùm non videt ſe peccare. *Amor namq; pecuniarum,* ait S. Chryſoſtomus, *pupilla mentis, quaſi quidam malignus humor influit, denſamq; nebulam operatur.* Hinc Nobilis iſte, non vidit, ſe opes habere, quibus ſuccurreret gratis neceſſitati egenorum: neque recordatus eſt, ſcriptum eſſe: *Si vnus de* (Deuter. 15. 8.) *fratribus, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor*

*bis cor tuum, nec contrahes manum, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris* ( malè enim retinet pecunias, qui se emolliri non sinit, vt subueniat indigenti) neque illud Christi in mente habuit: *Qui petit à te, da ei: volenti mutuari à te, ne auertaris.* Et: *Si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa.* Hæc licita est, & longè maior vsura, quàm si *decem, pro centum*, recipias. Sed mali in delitias profusi, in eleemosynas contracti & inhumani nihil agunt virtutis amore; præceptis igitur atque minis coërcendi sunt. Quamobrem etiam mutuationem pecuniæ, spe vsuræ, vetuit Deus: *Non fœnerabis*, inquit, *fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Ac, per Ezechielem ait, non victurum *egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos suos, abominationem facientem: ad vsuram dantem, & ampliùs accipientem.* Est enim vsura *lucrum proueniens ex mutuo, vi mutui*, prohibita lege naturali; nec in veteri lege aliter permissa, quàm in recompensationem bo-

Matth. 5. 42.
Luc. 6. 34.
Deuter. 23. 19.
Ezech. 18. 12.

norum, quæ Iudæi à Gentibus vicinis iustè póterant auferre. In nouo Testamento non canonico tantùm, sed etiam diuino jure prohibetur.

Iuuenal. Sat. 14.

*Sed quæ reuerentia legum?*
*Quis metus, aut pudor est vnquam properantis auari?*

Aristot. l. 1. de Rep. c. 10.

Bion certè auaritiam dixit esse *metropolim improbitatis*. Quin etiam certè vel Aristoteles docuit, sicut honesti patrisfamilias est, se & domum alere, agrorum & pecorum fructibus; ita artem cauponariam iure vituperari, *non enim ortum habet à natura, sed è semetipsis quæstum faciunt* fœneratores. Et addit: *Meritissimè fœneratoria ars odio habetur, quia ab ipso numo fit quæstus, & non seruit, cui primus inuentus est; permutationis enim gratia extitit: fænus autem ipsum copiosiorem facit. Vnde & nomen hoc* ( Τόκος ) *natum est: similia enim, quæ pariuntur, sunt gignentibus ipsa. Fænus autem est, cum paratur numo numus. Quare omnium quæstuum hic est maximè præter naturam.* D. Ambrosius etymon ab adiuncto dolore amplificat: Τόκος, inquit (seu partus) *Græci appellarunt vsuras, eò, quòd dolore partûs anima debitoris excruciari videantur. Veniunt calendæ, parit sors centesimam: creuit centesima, petitur,*

*titur, nec soluitur, applicatur ad sortem. Itaq; non iam centesima incipit esse, sed summa, hoc est, non fœnoris centesima, sed fœnus centesimæ.* Fœnus Latinis quasi *fœtus* dicitur. At pecunia non est naturæ talis, vt fœtum producat, sicut ouis, vacca, equus. Accedit ad hanc iniustitiam & dolus, & modus. *Auarus*, ait S. Basilius, *videns inopem necessitate coactum ad genua sua supplicem procumbentem, flecti nescius perstat implacabilis, & nec precibus vincitur, nec lachrymis mollitur; iurat insuper, se omnino carere pecunia, & quærere, si quem ipse fœneratorem inueniat, & inhumanæ mercaturæ impudens periurium addit. Postquam verò perspicit, miserum illum meminisse fœnoris supra sortem, subridere incipit, familiarem & amicum appellat. Videamus, inquit, sicubi relictum est nonnihil argenti depositi. Hac itaq; commentitia simulatione, vbi inescauit miserum, & litteris obstrinxit, super eo fœnore confectis, inde se proripit.* S. Ambrosius, post alia multa in fœneratores dicta: *Vidi ego*, ait, *miserabile spectaculum liberos, pro paterno debito in auctionem deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis, & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem. Instat, vrget, addicit. Mea, inquit, nutriti pecunia, pro*

S. Basil. in Psal. 14.

S. Ambr. de Tobia, cap. 8.

*alimonia seruitutem recognoscant, pro sumtu licitationẽ subeant, agitetur hasta de pretijs singulorum, non immeritò hasta agitatur, vbi caput quaritur: non immeritò ad auctionem perueniatur, vbi sors poscitur. Hac est fœneratoris humanitas, hac debitoris stultitia, vt filijs, quibus non reliquit pecuniam, libertatem auferat, pro testamento chirographum dimittat, pro emolumento hareditatis, syngrapham obligationis.* Deniq; tam nefarium scelus est vsura, vt Cato Censorius, rogatus, *quid esset fœnerari?* responderit: *Quid hominem occidere?* & S. Augustinus scripserit, *trucidari pauperem fœnore:* immò Christus fæneratores comparárit latronibus, quando, euersis, in templo, numulariorum (quos vsurarios fuisse obseruat S. Hieronymus) mensis, dixit: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncã latronum.* Auaritia enim, teste S. Ambrosio, *quasi gradus quosdam cupiditatis habet, & quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat, vnde sit grauis ruina lapsuro.*

Cic. lib. 2. de officijs.
S. Aug. ep. 54.
Matth. 21. 12.
S. Hieronym. in cit loc. Matthæi.
S. Ambr. de Naboth Ieraelita.

V.
TIMOR REST TVTIONIS FACIENDAS, AM-

Hoc ergo tantum vsuræ crimen cum sit, tamen à Pluto excæcati multi non vident; sed se excusant, factum eleuant, exempla, & consuetudinem obtendunt, mordicus retinent, nec adduci possunt ad iniusta lucra restitu-

restituenda, nescio quid falsæ excusationis prætexentes. Nec enim hoc pacto miseris succurrunt, sed ex miseris faciunt miseriores; nec vtique volentes habent, sed violentè adactos; siquidem nemo est, qui non mallet mutuam accipere pecuniam gratis, quàm vsuram soluere creditori. Nec, supra sortem, pecunia debet pecunijs compensari: siquidē pondus, non fænus est reddendum. Quòd autem multi viri magni in seculo, hac arte ditescant, verum est, sed idcirco magna eos manent tormenta: honestos sic opes quærere, falsum est. Quanquam plurimi prô dolor, nunc sunt, qui sua cupiditate excæcati, quidquid vtile est, id honestum arbitrantur; & lucri caussa non verentur Iudæi fieri ex Christianis: nec restituunt, quod adhamârunt. *Nam itidem vt Acheronti hic ratio scribitur. Intro receptum, quando acceptum est, non potest ferri foras.* Talis fuit Nobilis ille, optimè notus Parocho suo. Quare ab eo non potuit impetrare, peccati huius absolutionem sacramentalem, quia nec ipse adduci potuit, vt ab vsuris desisteret, sed non aliter confitens quàm ad nouercæ tumulum flebat. Quid ergo fecit? quod multi faciunt, qui volunt in peccatis & sordibus suis manere:

IMPEDIMENTVM CONFESSIONIS.

Plaut. Trin.

confitentur enim alteri à quo non noſcuntur, atque ſi hunc rigidum experiuntur, iterum iterumque alteri, donec inueniant vel imperitum, vel conniuentem. Non placuit huic auaro Parochus auaritiæ caſtigator. Iuit itaq; ad aliquem è Societate noſtra Patrem; qui itidem, intellecta mutati confeſſarij cauſſa, dixit: Se eum non poſſe abſoluere, non ſolùm, niſi ab vſura deſiſteret, ſed etiam, niſi promitteret, ſe vſurarum omnium facturum reſtitutionem. Re igitur infecta ab eo diſceſſit, nimis auſterum & crudum vocans. Adijt alterum, adijt tertium, adijt quartum, ab omnibus idem reſponſum referens dixit: *Omnes Ieſuitas eſſe eiuſdem farinæ Orbilios.* Vlcus adhuc eum vrebat, ſed tangi nolebat, vt aperiretur in ſanitatem. Quare ad aliud ſe ſe templum, atque ad alios alioſque ſubinde Religioſos contulit, à quibus audiuit itidem, *Neminem eſſe, qui eum, ſine impoſita reſtitutione, poßit abſoluere, niſi propriæ ſalutis periculo ſe ſe velit inuoluere, & peccati particeps fieri alieni: reſtituendum, quidquid acceptum, per vſuram; quæcunque res ſit, ſiue in ſe extet; ſiue in valore, ſi non extet: quin & damnum illatum, & lucrum ceſſans; quin & expenſas, quas mutuans feciſſet, in re ſua recuperanda; vti & bona propria*

*pria, deficientibus alijs, & remanente obligatione restituendi: ac sine controuersia, immediatum omne lucrum, quod acceptum esset vltra sortem.* Scabiosus, aut vlceribus obsitus, grauiter sentit, si quis cataplasma ei detrahere nititur agglutinatum: ita auarus non sustinet à se auferri pecunias, quas habet viscosis manibus accretas. Et tamen, velut vlcus, vrunt. Ita auarus neque vitium, neque vitij remedium potest pati. *Quemadmodum* enim, ait os aureum, *sine fluctibus mare nunquam conspicitur: sic animos diuitum auarorum absque sollicitudine, tremore, turbatione, curis, periculis, nunquam reperies; sed antè, quàm priora componant, alia inuaserunt.* Quamobrem Nobilis iste, cùm & scrupulo, conscientiæque acerrimis stimulis vellet carere, & tamen lucri iniusti tenax horreret omnem restitutionis faciendæ mentionem, tam diu circumuagatus est, per Confessariorũ omnium subsellia, & templa, donec tandem inueniret aliquem ad gustum suum, vel indoctum, vel libertinum, qui nullo discrimine quemcumque, nulla potestate scelus omne absoluere, atque accursum potiùs numerumque confitentium, quàm fructum quærere solitaret. Et, Deo iustissimè permittente, inuenit tandem

S. Chrys. hom. 39. in Matth.

vnum, eumque, quod magis mireris Religiosum, qui sibi de acquisito tam splendido Confessionis filio tacitè plaudens, omni studio conatus est, eum ita tractare confitentem, vt apud se retineret; ac ne illum ad alios fugaret, aut amitteret, ceteros Confessarios, qui eum absque restitutionis promisso absoluere noluissent, dixit, *nimis fuisse scrupulosos, & nodum in scirpo quæsijsse*. Apud hunc igitur tandem Confessarium mansit: hîc summopere ei placuit, hic ei solus satisfecit; sicut & multis, qui tum demum acquiescunt, quando Confessarium inueniunt, secundùm cor suū, non secundùm vtilitatem aut necessitatem; qui vel tacet ad omnia, vt mutus canis latrare non valens, vel etiam approbat illorum errores, album nigrum, nigrum album vocans, neque medicinam illis salutarem præscribit, vt corpus castigent; vt sæpiùs confessionis remedio vtantur; vt tandem absistant, consuetudinémque inueteratam, adhibita sibi violentia, expugnent: vt alienum dominis suis reddant. Nam quidā ab his rebus, quasi à solo Numine toti pendent. Venter enim, aut pecunia, aut Venus & Bacchus est eorum Deus: non quod pecunia mala sit, S. Chryſ. sed sicut *si quis in limpidum fontem stercus inyciat,*

*ciat, totum immundum reddit: ita si diuitias auaritia attigerit omnes fœtore suo corrumpit.* Quod & Venus & Bacchus facit. hom. 78. in Ioan.

VI. QVAM MALA SIT MALI CONFESSARII ELECTIO?

*Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sentitis conscientiæ intemperiem, videtis vos ægrotare, vultis sanari; & medicum peritum fugitis? quæritis imperitum? Quis, vulnere accepto, declinat chirurgum bonum, & illo vtitur, qui vngit tantùm, nec sanat ex fundamento? Socratis dictum est, *aureus lectus non iuuat ægrotantem.* Aureum vos dicitis habere confessarium, cur? quia tacet, quia vos sinit versari in vsuris, furtis, odijs, libidinibus vestris. Non est aureus iste, sed vobis videtur fulgere. Fulgor vos decipit; non ducit, sed seducit. Vt Cyclops, vel cæcus manum porrigit, & ductum sequitur trahentis; sic vos Confessarius indoctus, aut ipse peccatis excæcatus non in viam, sed in ruinam ducit. Cur cæcum eligitis? *cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Quare, non sine caussa, dixit Seruator: *Attendite à falsis Prophetis.* Et, vt S. Leo scripsit: *magni laboris est, magniq́ue discriminis, inter dubias imperitorum opiniones, & verisimiles falsitates, per vnam sanæ doctrinæ semitam, inoffensis greßibus* Matth. 15. 14. Matth. 7. S. Leo serm. 5. de Nat.

 *ambu-*

*ambulare: & , cùm vndiq; se laquei erroresq; opponant, omne periculum deceptionis euadere.* Quid illis fiet, qui bonum ducem fugiunt, malum quærunt? Sinunt se isti à vanissimo quoque per deuia abduci, quid non facient, si habeant ipsum Confessarium erroris fautorem? Hæc sunt vestimenta ouium, *mansuetudinis simulatio, & blandimenta verborum,* ait S. Hilarius. Nam & Confessarij mali, *per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium* quoque, quid in cordibus non efficient nocentium, & in scelere permanere cupientium? Nempe id, quod inepti medici, qui, dum ægroto omnia concedunt, ægrotum non sanant, sed necant. Quanquam longè peiore euentu id agunt medici spirituales. Corporum medici, sibi ipsis non obsunt, si malas præscribunt & nocituras ægris medicinas. At animarum medici, si sunt imperiti, aut negligentes, & ægros suos perdunt, & se ipsos cum ægris; *cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt,* monomachis miseriores. Nempe,

S. Hilar. in Com. 7. cap. 1. Matthæi.

Matth. 15. 14.

*Non habet euentus sordida præda bonos.*

VII. Confitentis male, et

Hoc Nobili, hoc Confessario illius accidit. Quoties enim vsurarius ille redijt ad confessionem, toties, sine vlla restitutionis

impo-

impositione, retulit absolutionem. Sed absolutionem verbis expressam, re nullam. Imaginabatur enim Nobilis, se esse absolutũ, absolutus non erat. Sicut ille, apud Eustathium, Achæus, Callicon cognomine, qui fictile vas, puluinaris loco, capiti supponebat: verùm quia duritie illius offendebatur, vas paleis impleuit, vt molliùs cubaret. Non cubile mollius est redditum, sed stultitia, quod non fuit, finxit. Ad eundem modum Nobilis, non absolutus erat à peccatis, sed, quia eum Confessarius decepit, imaginatus est sibi absolutionem, sicut reus in carcere, quia catenis alligatus somniat se ijs esse liberatum. Ita *mentita est iniquitas sibi*. Extitit hinc magna inter Confessarium & filium Confessionis animorum coniunctio, familiaritas, amicitia. Nihil Nobili supra Confessarium, nihil Confessario supra Nobilem fuit. Hinc se se mutuò visitare, hinc suauiter vnà fabulari, hinc identidem simul lætissimè conuiuari cœperunt. Vtque libenter Nobilis Religioso huic confessus est, ita vicissim Religiosus libentissimè, apud Nobilem prandit & cænauit. Nec libentissimè tantùm id fecit, sed & frequentissimè, inter epulas suum lactans conuiuatorẽ verbis, à quo ipse

MALE CONFESSIONEM AVDIENTIS TRAGICVS EXITVS.

Eustathius Odyss.

Psal. 26, 12.

senum

ſenum lacte reficiebatur. O miſeri Confeſſarij, qui menſæ ſeruitis, non conſcientiæ veſtrorum dominorum! cur animam veſtram, quàm offam veſtram mauultis perdere? ô miſerabiles confitentes, qui animæ veſtræ ſalutem Confeſſarijs creditis, menſam veſtram, non conſcientiam veſtram curantibus! Audite, & reſipiſcite; quicunque ita vel cum Confeſſarijs, vel cum confitentibus luditis. Aliquamdiu durauerat hæc filij ſpiritualis, & ſpiritualis patris iucunda conuerſatio. Gaudebat vterque; Nobilis immunitate, Religioſus comeſſatione. Sed, vt omnium rerum eſt finis, & quædam, in diuinis conſilijs, decreta eſt menſura peccatorum, ita hîc quoque cœleſtis judex non cenſuit ampliùs indulgendum. Quodam die conſtituerant, lætiſſimè inter ſe ſe agitare. Conuenerant veſperi. Conſidebant, gaudebant. Volabant ioci, ambulabant fercula, ibant in orbem ſcyphi, & crateres Falerno ſpumantes: nemo videbatur in orbe toto illis lætior beatiorué. Hoc viuere eſſe dicebant; & neſciebant, quid ſequens hora ferret. Nocte jam multa, poſt lautiſſimam cœnam, Nobilis conuiuas ſoluens, in lectum conceſſit, Religioſus in monaſterium ſe recepit. Vix & ipſe ſe ſe ad ſomnũ

com-

composuerat, cùm ecce inopinatò vernæ adsunt duo, ad fores cœnobij, qui importenter pulsant, iubentque actutum januam referari. Ianitor, ex habitu eos cognoscens, è Nobilis vtique familia ratus, per fenestellam maculásque portæ ferreas, interrogat, quid id noctis tam serò ac intempestiuè velint? Aiunt, rem incidisse necessariam, Nobilem repentè malè habere cœpisse, grauiterque cum morbo, & fere etiam cum morte luctari, velle sibi sine mora adesse eum, quem à Confessionibus haberet. Currit ianitor, atque è prima quiete excitat somno vinóque semisopitum Patrem, jubetque vehementer festinare; periclitari dominum, moram omnem esse detrimentosam. Proripit ille attonitus se se; &, iniectis tumultuariè vestibus, quod reliquum est, in via nectit, socio comitante, duobusque, qui eum euocauerant, latera cingentibus. Dum per forum transeunt, videt religiosus, ad lucentis Lunæ semiplenum lumen, Nobilem illum suum Conuiuatorem, in talari nocturna toga, magnificè obambulantem. Quo conspecto, ioci caussa, intempestiuè delusum se arbitratus, cœpit cum ductoribus amarulentiùs expostulare, vt qui aliud ludendi genus non habuissent, quàm vt

Confessarius ridiculi esset argumentum; alios fuisse, quibus os sublinerent, si ea nocte comœdiam vel dare, vel spectare voluissent. Hæc, dum diceret, atq; alia, quæ subitus impatientiæ calor suggessit, adfuit ipse, atque stetit ante illum Nobilis, vultuque plus quàm truculento, ita eum est affatus: *Nihil hîc fictum, aut ioco actum existima. Non tantùm ægrotaui, sed & vixi. Mortuus tecum loquor, & heu, æterna damnatione flammis adiudicatus. Cœpi ardere, ardeo, & ardebo semper, sine vllo fine tormentorum. Idq; iustè patior, quia merui vsuris meis, & illo nimis profano & sacrilego vsu sacramentorum. Tu verò, infelicissime sacerdos, & improbissime Religiose, cuius erat, mihi veritatem dicere, de vitijs increpare, extrahere ex vsuris; conniuere, indulgens & clemens, & meam caussam agens videri maluisti; itaq; peccantem confirmâsti. Par est igitur, vt scelerum meorum particeps, etiam particeps sis meorum suppliciorum.* Hæc vbi dixit, duo vernæ in Auernales cacodæmonum laruas conuersi, vnus Nobilem, alter Religiosum, comprehensos, per aërem, ad Acheronte, auexerunt. Solus ibi tam luctuosæ tragœdiæ spectator relictus est Confessarij socius, totus rei atrocitate attonitus, ac præ formidine semianimis. Ani-

mo

mo tamen postea remigrante, ac viribus resumtis, nullo Confessario redeunte, incomitatus ad Monasterium regressus est. Ibi, quo suo, ac Superioris dolore, qua totius conuentus deiectione scenam tam tragicam enarrârit, ego dicere non possum, vobis relinquo cogitandum.

VIII. CONFESSARII, ET CONFITENTIS CVRA ET DELECTVS

Qui vtique, hac historia audita, mirari desinetis, si quos Dei seruos auditis, adeò refugere à nonnullorum diuitum confessionibus audiendis; si videtis illos malle audire ex agro venientes rusticos, aut fuligine obsitos opifices, aut vilissimos de paupertina tribu mendicos; quàm eos, quorum vestis pretiosa, anima diabolo vendita, & mille titulis Orco obstricta: neq; ægrè feretis, si quis Confessarius, ne vestra peccata approbare videatur, & ipse innocens vestris delictis damnetur, sincerè pronunciet: Non posse se absoluere obstinatos: veniam non esse, nisi se se emendaturis. *Fili hominis*, ait Deus per Ezechielem, *speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neq; locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua* (Ezech. 3. 17. & cap. 33. 7.)

*nu tua*

*nu tua requiram.* Hæc eſt Confeſſarij obligatio, cuius officium non exigit tantùm vt ſoluat, ſed etiam vt quandoque liget. Quis igitur ægrè ferre poteſt, ſi facit, quod officium ab ipſo requirit? quod Deus ipſe, cum tanta comminatione præcipit? Diſcetis etiam, non quærere Confeſſarios indoctos, laxos, indulgentes, omnia diſſimulantes, ne *cæcus, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadant.* Si calceos emere vultis, optimum aditis ſutorem; veſtem nouam confici cupitis, quæritis, vbi ſit optimus ſartor; ſi diuertere de via ſtatuitis, in optimum hoſpitem inquiritis; ſi venam vobis vultis aperiri, chirurgum optimũ indagatis: animæ medicum videtis vobis eſſe neceſſarium, &, ſi quẽ accuratum experimini, declinatis, atque ad omnium luridiſſimũ acceditis, nonne hoc eſt, perire velle? Sanctũ conſilium Galliæ Sanctus rex, è vita migraturus filio ſuo dedit iſtud: *Fac idoneus tibi ſit conſcientiæ arbiter, cuius prudentia doctrinaq; in omnibus ſemper tutus ſis.* Quàm in rem Auila: *Confeſſarium elige vnum ex millibus. Immo inter decem millia,* ait Sales Epiſcopus, *dici enim non poteſt, quanta ſit ad excipiendas confeſſiones idoneorum inopia: ſi ex his tribus, charitate ſcilicet, doctrina, & prudentia, vel vnicum in ali-*

quo

Matth. 15. 14.

In vita S. Ludouici.

Sales introduct. ad vitam piam 1. p. cap. 4.

*quo desideretur, est periculosæ res plena aleæ.* Conscientiæ morbus nec simulando sanatur, nec dissimulando. Qui sapit ergo, exemplo se sinat doceri. Optimum est, aliena insania frui.

Sed ad radicem huius mali veniamus: *auaritia radix omnium malorum*, etiam hîc caussa est, vt re aliena inquinati, & reddere nolentes, quod iniquis modis acquisiuerunt, vel non sincerè confiteantur, vel Confessario prudenti non obsecundent. Hinc, vt peccatũ peccato addant, etiam Sacramento Confessionis abutuntur, & malunt gratia Dei, quàm pecunia carere. Hinc ipsa illis Sacramenta sunt in damnationem. Abusu enim eorum merentur, vsu priuari; ac sine fructu illorum ex hac vita exturbari. Et sæpe quidem repentè, ac violentè, iuxta illud: *Stulte, hac nocte, animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Quod ferè contingit, quoties homines in hac rerum cumulandarum auiditate senes moriuntur. Cùm enim cetera vitia, senescente homine, senescant, sola auaritia iuuenescit, & quò annosior, eò est pertinacior; vt vita citiùs quàm illa deseratur. Non immeritò quærit Baruch; *Vbi sunt, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confi-*

IX. VSVRARIORVM MALVS EXITVS.

Luc. 12. 20.

Baruch 3. 17.

 *dunt*

*dunt homines? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Quemadmodum Nobilis supra dictus. Qui nec primus, nec vltimus fuit, cui istud euênit. *Vidi & ego ipse, in Brabantiæ finibus,* ait Thomas Brabantinus, *vsurarium nequam valde, qui multos nobiles & potentes exhæredauerat, & pauperes spoliauerat supra modum. Hic frequenter occurrens Religiosis, rogabat quasi cum lachrymis, pro se orari; sed in nullo penitus se correxit. Cumq; super hoc eum frequentiùs arguissem, nec tamen in aliquo profecissem, accidit, vt repentina infirmitate correptus, ad exitum propinquaret: & ecce, subitò duo ingentes tenebrarum canes lectum incertis circuitibus ambiebant. Ipse verò protracta lingua, ad longitudinem prope pedis dehiscens horribiliter expirauit.* Quod si non satis est, addit S. Bernardinus Senensis alterum: *Legitur,* inquit, *de Vsurario quodam, quod post splendidam cœnam, cùm dormiret in lecto cum vxore sua, subitò expergefactus exilierit de lecto. Cùm autem ab vxore sua, quid haberet, interrogaretur, ait: Modò raptus fui ante iudicium Dei, vbi tot, & tam terribilia sunt opposita contra me, quòd nec sciui, nec potui respondere: cumq; fuerim diu ad pœnitentiam expectatus, nec huc vsque volui diuinis præceptis & bonis inspirationibus obedire.*

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum. cap. 3.

S. Bernardin. Senens. ser. 43. art. 3. c. 3.

*Audiui*

*Audiui nunc iudicem, contra me sententiam protulisse, meq; datum audiui potestati dæmonum, qui me hodie ad æterna supplicia asportare debeant. Quo dicto, de pertica vili veste assumta, domo, rabido cursu egressus est: quem sui hinc inde quærentes, in quodam monasterio monachorum matutinum cantantium inuenerunt. Cunctis igitur eum ad pœnitentiam inducentibus, nec proficere valentibus, ratione, aut exhortatione, vel precibus, custoditus est diligenter, vsq; ad sextam horam. Denique, cùm eius consanguinei domum illum reducere vellent, & ad quendam fluuiū, per cuius pontem transituri erant, peruenirent: viderunt nauim quandam, rapido cursu ascendentem, à nullo, vt videbatur, conductam: sed ab vsurario plena dæmonibus visa est, qui, vt ait, ideò venirent, vt eum ad æterna supplicia asportarent. Quo dicto, statim violenter de manibus eorum, à dæmonibus rapitur, & in nauim proijcitur, & cursu rapido retracta, subitò disparuit, cum dæmonibus, & prædâ, præfata nauis.* Si, ne dæmonibus quidem & naui Charontis sibi paratâ aspectis, iste ad pœnitentiam confugit, facilè intelligi potest, quanta difficultate, auari ab hominibus ad confitendum, & restituendum adducantur: apud quos plus ponderis habet aurum, quàm cœlum. Qua

Luc. Pinellus l. 1. cap. 5. de altera vita.

de re tertium hoc exemplum è Luca Pinello libet apponere, de homine admodum pecunioso. Huic ægrotanti, cùm à medicis mors in propinquo esse denunciaretur, ingens cura cum metu iniecta est. Agglutinatus enim diuitijs animus, totq; temporalibus bonis profundissimè immersus, inusitata anxietate, perspicuè ostendit, verè dictū illud: *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!* Accepto enim nuncio mortis, dici non potest, qua deserendarum opum solicitudine, quanto animi cruciatu, quot suspirijs ex imo pectore ductis, sese in lecto huc versârit & illuc, identidem etiam, iracundi leonis in morem, irrugiens. Hoc tam triste spectaculum præsens intuitus noti nominis scriptor Robertus de Licio, ex Christiani hominis officio, eiulantem iussit lamenta omittere, atque deposita nummorum omni cura, sicut antehac corporis commoditatibus prospexit, ita nunc etiam animæ suæ saluti prouidere. Orandi nunc tempus esse & futurum iudicem Deum conciliandi, non cogitandi de pecunijs, mox necessariò deserendis. Surdo citiùs salutaria persuaseris, quàm auaro. Quasi nihil audijsset iste miser, ita bene adhortanti respondit nihil. Secum autem

Eccli. 41. 1.

tem ipse, in hunc modum clara voce, est locutus: *Heu quanto labore, quot curis, quàm magna industria diuitias istas mihi coaceruaui, & nunc ad alienas deueniunt manus? Ego sudaui? ego adeptus sum? ego genium meum defraudaui? & nunc alij prodigè fruentur, qui mihi gratias non agent, immo insultabunt? Hei me miserum! hei infelicem!* Sic querelas iterantem Robertus de Licio, robustioribus verbis commonendum ratus, etiam atque etiam rogauit, vt hæc vana mitteret; pecuniam non pluris, quàm animam faceret, exclusaque omni de rebus caducis cura, de futuris, deque æternis rebus cogitaret: cœlum auro præferret; & vel inuito animo deserenda, sponte desereret, ne & cœlestem thesaurum amitteret, & ad æternam, in inferno, omnium optabilium rerum egestatem cœcus properaret. *O quàm difficile est, confidentes in pecunijs in regnum Dei introire!* Marc. 10. 24. Instabat mors, imminebat iudicium terribile Dei. Supplicij sempiterni præsentissimum erat periculum, non deerat, qui hæc auribus eius ingereret. nihili omnia fiebant. auro excæcatus nihil aliud aspicere, auro exsurdatæ aures nihil aliud audire; auro plenus & ebrius, nihil aliud loqui volebat. Itaque, exclusis alijs omnibus cogitationibus, perpe-

tim inter acerbissima suspiria, clamitabat. *O thesauros meos! ô pecunias meas! ô bona mea! ô diuitias meas! Cuinam vos relinquam? quis vos acquiret? quis possidebit?* Hæ voces vltimæ
Iob.21.13. illius fuerunt; vt, sicut alij, qui *ducunt in bonis dies suos, in puncto,* à gaudijs, *ad inferna descendunt;* ipse Acherontis supplicia, ab huius vitæ eiulatu inchoaret. Possem & quartam adijcere historiam, quàm anno præcedente 1644. primùm, Venetijs, primario viro, ac admodum seni contigisse, mihi ex aua Oenipontana scriptum est, additumque *haberi illam ab auctore fide dignissimo, & aliorum relatione, inibi iam plus confirmatam & certissimè creditam.* Sed malo illam audire ab alijs, quàm alijs narrare, nondum satis enodatè recensitam; quamuis luculentè ostendat, quo exitu Confessio differatur, vel profanetur.

XII. MVLTOS ESSE, QVI VSVRIS, VEL ETIAM GRAVIORIBVS, CONTRA IVSTITIAM, PECCATIS OB-

Publiana sententia est: *Auarus, nisi cùm moritur, nil rectè facit.* Cuius dicti sensus est, eum, qui sese pecuniæ studio addixit, nulli commodū esse, dum viuit; solam illius mortem hæredi voluptatē & emolumentum adferre. Sed horum auarorum mors emolumentum etiam non hæredibus affert. Ex eorum enim pœna satis manifestum est, quàm seuerè Deus puniat sacrilegos eiuscemodi confitentes,

tentes, & quò vsura hominem pertrahat. Quanquam facilè prospicio, quid mihi plerique sint obiecturi: nempe Hæc nihil ad se pertinere; paucos nunc, Pamphili furtum imitari, paucos cùm Alexandro Asiam metere, paucos legere culmos cum Antigono; paucos vsurarios reperiri; ad illos eundum: illis hæc talia occinenda esse. Quibus respondeo. 1. Cum Horatio lib. 1. ep. 1. *Multis occulto crescit res fœnore*, quia constat, varia esse genera vsurarum; alia enim *formalis & aperta*, alia *virtualis* siue *palliata* est: itemque alia *realis*, alia *mentalis*. Quæ si diligenter perpenderentur, multos ostenderent, esse hîc inquinatos. Quoties enim fiunt pacta obligantia ex justitia, ad dandum aliquid pecunia æstimabile, vltra sortem ex vi mutui? quoties pactum initur, vt mutuatarius teneatur facere aliquem contractum, cum mutuante, vel præstare munus à lingua, ab obsequio, à manu; vel facere aliquid turpe, pretio æstimabile; vel dare officium, priuilegium, exemtionem ab aliquo onere, vel vt dimidium recipiat in mercibus, vel vt tempore messis reddat triticum pretio currente &c. Nonne hæc sunt vsuraria? Sunt. Sed excusatur vsurarius, vt

STRICTI NON RECTE CONFITENTUR.

Horat. lib. 2. Satyr. 3.

*Nimirum insanus paucis videatur, eò quòd*
*Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.*

2. Multi filij sunt ab vsura alieni, sed vsurarios parentes habuerunt. Hæres verò tenetur ad vsuras defuncti, si relicta hæredi satis sint ad soluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam: si verò hæres succedat etiam in crimine vsurarij, tenetur in solidum, ex persona etiam propria, tanquam cooperator vsurarum, quæ ab ipso acceptæ essent post mortem. 3. Demus, te esse ab omni vsura alienum; demus non esse furem Argiuum; sed auaritia te aliò impulit, atque in longè grauiora & apertiora. Vsuræ quædam, etsi iure diuino prohibitæ, tamen iure ciuili permissæ fuerunt, quædam etiam approbatæ. Et sunt multa quæ ab vsura excusant, si non titulo mutui, sed ratione *lucri cessantis*, aut *damni emergentis*, aut titulo gratitudinis, vel amicitiæ quippiam accipiatur; nihil tamen omnium est, quod à rapinis prædones, à furtis lauerniones excuset. 4. Quot fraudes in emtione venditionéque committuntur? quoties pretia rerum augentur? quoties pondera, mensuræ, numeri minuuntur? *Non habebis in sacculo diuersa pondera,* *maius*

Deuter. 25.13.

*maius & minus: nec erit in domo tua modius maior & minor. pondus & pondus habebis iustũ & verum, & modius aqualis, & verus erit tibi,* ait Dominus. O quoties audimus, diuersa pondera, & diuersa pretia earundem rerum? Quod denario venditur, si ciuis est, duplicatâ pecuniâ venditur studioso litterarum, aut peregrino, vt plures lædantur. nempe & studiosi, & parentes studiosorum, & quotquot id audiunt peregrini. Addo, & istos ipsos fœneratores lædi; qui nunquam opulescunt, licet quotannis, incredibilis summa pecuniarum in eiuscemodi vrbem inferatur, quæ, quò euanescat, non apparet, nisi quia, quod justitiâ caret, caret etiam diuina benedictione. 5. Quoties solutiones debitæ differuntur? dissimulantur? penitus obliuione inuoluuntur? an ideò non debes, quia alter non exigit? aut quia non meminit, idcirco putas etiam Deum debiti tui non recordari? 6. Inter ipsum ludum, quot fraudes admittuntur? quot mendacijs circumueniuntur collusores? quoties chartæ miscentur in præiudicium aliorum? ne dicam quantæ superstitiones & quot pacta diabolica intercurrant. Non enim nominabo, ne videar docere, quod refuto. Certè multi sunt, qui arte inæquales, vel

minis, vel importunis precibus inducunt ad ludendum, quos victos habent antè, quàm ludere incipiant. Quid est hoc aliud, quàm in terra jacentem, & sese defendere non valentem spoliare? 7. Quanti sunt, qui, præsertim hoc tempore, scienter emunt pecudes abactas, aut alias res alienas? qui seruant donata, ab eo, quem sciunt furem esse
Isa. 1. 32. manifestum? *Socij furum* sunt isti, & iam patibulo initiati; qui si scirent, per eiusmodi furta dignos fieri homines, vt etiam amittant, quæ iustè possederunt, non vtique tam obstinatè aliena retinerent. Plurimi ad Lauretanam ædem peregrinati sanitatem reportarunt: quidam sanus, inde è muro sacro lapidem abstulit, & ægrotare cœpit. Ita nonnulli exitium sibi furantur & extremam paupertatem in furtiuis opibus acquirunt. Quid impetrabis, si rosarium oras, quod tuo vel alieno furto acquisiuisti? cur enim manus ad cælum extendis? vt ores, an vt eas ostendas furto inquinatas? illum libellum legens, quē alteri subduxisti, seuerissimum vis placare iudicem furum? Non est enim Deus noster, sicut qui *viduus pharetra risit Apollo.* 8. Ah quid dicam, quoties famuli? quoties ancillæ esculenta, poculenta subducunt? Mittitur in cellam

lam seruus vt domino vini haustum afferat, qui domino vitrum, sibi cantharum implet? nec rarò coqua è culina cellam facit. Nam si vel semel ad dolium mittitur, sibi pro sex diebus prouidet. Ars est, quæ etiam sub inuersis ollis vinum condit. Nihil dicam de pane, de butyro, de lignis, de candelis, de alijs rebus ad vicinos, vel cognatos, vel amasios amasiasué asportari consuetis. 9. Quid de ipsis filijs & filiabus canam? quoties non iam poma, pyra, aliaque bellaria, sed pecunias suis parentibus subducunt, & arbitrantur, se furti reos non esse? Addam, quod pauci confitentur, & multi quotidie perpetrant, multos liberos perditissimè prodigere otio, ludis, compotationibus, quod eorum parentes, magnis sudoribus, vix tandem comparserunt. Quid isti aliud faciunt, quàm si parentes compilarent? 10. Non esset finis, si fractores fenestrarum, familiares cultrorum, chirothecarum, & strophiolorum fures; & damnorum innumerabilium illatores; si eos, qui salarium accipiunt, & officio non satisfaciunt, vt sunt pædagogi, præfecti, operarij, ministri varij; si eos, qui gabellas, qui vectigalia iusta defraudarunt; qui Ecclesiæ decimas non dederunt, qui operarijs mercedem distu-

distulerunt, aut diminuerunt; aut qui consilijs aliorum commoda auxilijsué impediuerunt, velim commemorare. Nam, teste Aristotele, *aleatores, & fures, & latrones omnes auari putandi sunt, quod in turpi quæstu sunt occupati.*

Aristot. lib. 4. Ethic. cap. 1.

Petron. Arb. in Satyr.

*Nec minor in campis furor est, emtiq; Quirites*
*Ad prædam strepitumq; lucri suffragia vertunt.*
*Venalis populus, venalis curia patrum.*
*Est fauor in pretio, senibus quoque, libera virtus*
*Exciderat, sparsisq; opibus conuersa potestas,*
*Ipsaq; maiestas auro corrupta iacebat.*

Hoc de Romanis olim dictum est, vtinam nunc non etiam dici posset de Germanis! deque alijs etiam Christianis! Prætermitto & alios. *Nam qui magna, & à quibus nefas est, accipiunt*, ait Aristoteles, *quales sunt tyranni, qui ciuitates oppugnant, fana diripiunt: ij non auari, sed scelesti potiùs, impij & iniqui sunt habendi;* quamuis horum criminum *radix* sit cupiditas. Quia, vt M. Tullius ait, *Nullum est officium tam sanctum, atque solenne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat.* Hi omnes,

Aristot. loc. cit.

Cic. pro Quintio.

omnes, ſi vel penitus à Confeſſione abſtinent, vel hæc talia, in Confeſſione tacent; vel iniuſtè accepta reſtituere juſſi non reſtituunt; vel Confeſſarium quærunt, à quo diſſimulanter prætereantur; an non Sacramento diuiniſsimo ſacrilegè abutuntur? an non digni ſunt, qui cum Nobili, & (ſi talem quoque habent Confeſſarium) etiam cum Confeſſario, in Tartarum abripiantur? Taceo detractores, qui vel non agnoſcunt, ſe ad ablatum honorem reſtituendum obligatos; vel non confitentur hoc piaculum, vel ad reſtitutionem faciendam admoniti, non parent; quia à dæmonio vel *muto*, vel *ſurdo* poſsidentur, ſupplicijs æternis authorati. Luc. 11.

XIII. Certè ſi ſcirent mortales, quantos Orco triumphos pariat inordinata habendi voluntas, vltro omnia reſtituerent, quæ titulis iniuſtis ſcirent ſe interuertiſſe. Eduardus III. Angliæ rex magnis tributis populum grauabat; ſeque, gemente populo, collectis pecuniarum aceruis, ſolebat eximiè oblectare. Quodam igitur tempore, vt ei iucundum facerent ſpectaculum, collectores & accipitres pecuniarum ingentem auri argentique vim comportatam vndique, ante oculos illi expoſuerunt. Ad quam cum voluptate intuendam

Polydo lib. 8. hiſt. Anglic.

EXEMPLA FACTAE RESTITVTIONIS.

dam inuitatus,, vidit quidem thesaurum, sed simul etiam aspexit, circa eum, Acheronticæ monstrositatis cacodæmonem, cum magno tripudio, ludentem & saltitantem. Quo viso, illico horrorem concepit iniquæ pecuniæ retinendæ. Iussit igitur extemplo eam è conspectu suo amoueri, atque viritim illis reddi, à quibus fuerat extorta; satius esse existimans animam, quàm pecuniam perdere, Zacchæum non modò in auaritia, sed etiam in pœnitentia imitatus. Quid, diuites, facitis? cur non, sicut ingeniosi estis ad pecuniam, ita & solliciti estis, ad pœnitentiam faciendam? Vobis lachrymantibus, Angeli gaudebunt, diaboli flebunt; qui, si viderint vestros hamatos vngues, piceatas manus, tenaces loculos & alienam in arca monetam, lætos agitant triumphos. Quid enim supplicij non impendet illis, qui egentibus nonsolùm nihil largiuntur, sed etiam auferunt sua; si illis pœna est præparata, qui vel de sua substantia inopiam patientibus non succurrunt? B. Albertus Besutiana familia oriundus, prima ætate vsuris deditissimus, totus in eo erat, vt alijs sua eriperet, nihil daret. Hic aliquando, in lacu Verbano nauigans, infesto Aquilone fluctus excitante, de

Ferrar. 3. Sept.

Vita est periclitatus. Cur id fieret, non diu illi fuit cogitandum. Nam vnà & sibi pereundum esse vidit, & diuitias iniustè congestas amittendas. Quamuis igitur animus illi ad opes erat vehementer alligatus, tamen illas censuit libentiùs esse proijciendas, quàm vitam. Voto itaque se obstrinxit, se, si viuus & incolumis ex hoc discrimine euaderet, omnia seriò emendaturum. Euasit, domum redijt, bona sua pauperibus distribuit, vxorique persuasit, vt in monasterium ingrederetur: ipse in montem inaccessum se reptando contulit; vbi diu, dimisso per funem corbe, à transeuntibus, postea ab ipsis Angelis pastus est; donec An. Christi 1369. tertio Septembris die, sanctè moreretur, ac miraculis ostenderet, longè vtiliùs pecunias in egenos spargi, quàm, domi in arcis, coaceruari; quæ frequenter in perniciem ipsius domini conseruantur. Quia, vt D. Ambrosius monet. *Non maioris est criminis, habenti tollere, quàm cùm possis & habes, indigentibus denegare. Esurientiũ panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu includis: miserorum redemtio & absolutio pecunia, quam tu in terra fodis. Tantorum scias te inuadere bona, quantis posses præstare, & nolis. Non sunt bona hominis, quæ secum*

*cum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum.* Quin idem ferè dixit Poëta, cuius hæc sunt:

Horat. lib. 2. Satyr. 2.

*Cur eget indignus quisquam, te diuite? quare*
*Templa ruunt antiqua Deûm? cur, improbe charæ*
*Non quidquam patriæ tanto emetiris aceruo?*

XIV. Remedia contra iniusta lucra.

*Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire,* ait S. Cyprianus, *habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fænus augere: quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi meremur? cùm iam pridem præmonuerit, ac dixerit censura diuina: si dereliquerint legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: si iustificationes meas profanauerint, & præcepta mea non obseruauerint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum.* Hæc qui fugere volunt, fugiant auaritiam, adeant Confessarium, confiteantur, restituant per vim aut fraudem ablata, vtantur pecunijs, non ad vsuram, sed ad cœlestem coronam emendam. *Ea de caussa pecunijs abundas,* ait S. Chrysostomus, *vt paupertate homines liberes, non vt in paupertatem intrudas, & verò simulatione solaminis maiores*

Psal. 88. 31.

S. Chrys. hom. 51.

*facis ærumnas, & liberalitatem vendis fœnore. Audent etiam fœneratores dicere,* inquit S. Auguſtinus, *Non habeo aliud, vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret deprehenſus circa parietem alienum: hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad proſtitutionē: hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam ſuam. Quidquid tale prohibere conaremur, reſponderent omnes, quia non haberent, vnde viuerent, quia inde ſe paſcerent; quaſi non hoc ipſum in illis maximè puniendum eſſet, quia artem nequitiæ delegerunt, vnde vitam tranſigant, & inde ſe paſcere volunt, vnde offendant eum, à quo omnes paſcuntur. An fortè,* ait S. Chryſoſtomus, *modi iuſtè viuendi non inueniuntur? Non ſunt agrorum cultus, gregis pabula, armentorum cuſtodia, manuum operatio, ſolers rerum tuarum cura? Quid inſanis, quid ceſpitas agricultura ſpinarum occupatus?* Nunquam deeſt occaſio honeſtè ſe alere volenti. Ex lege diuina agit, qui *in ſudore vultus ſui veſcitur pane ſuo.* At *veſana diuitiarum cupiditas eſt morbus inſanabilis, fornax quæ nunquam extinguitur, tyrannus per orbem longè diffuſa. Diuitiæ ingratæ ſunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles & implacabiles, beſtiæ incurabiles, præcipitium vndequaque præruptum, ſcopulus aſſiduus plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatum,*

S. Auguſtin. in Pſal. 128.

S. Chryſ. hom. 57. in Matth.

S. Chryſ. hom. 5. de Auaritia.

*tatum, tyranni acerbè imperantes, nunc quouis barbaro sæuiores, inimicæ, irreconciliabiles, hostes implacabiles, quæq; nunquam erga eos a quibus poßidentur, remittunt simultatem.* Indunt compedes aureas. Et, vt opinor, idcirco diuites torquati incedunt, vt appareat omnibus, eos esse vinctos, & catenis alligatos libertatemque perdidisse. Atque idcirco *viri diuitiarum* vocantur, quia non sunt illorum diuitiæ, sed illi diuitiarum. Hac enim ipsa de caussa, cùm Bion de diuite sordido loqueretur, *Hic,* inquiebat, *facultates suas non poßidet, sed ipsum poßident facultates.* In compendio, auarus est Tantalus inter aquas, qui poma fugacia captat, nam & ille inter opes est inops; eget in copia; sitit & esurit, cùm cellæ & horrea plena sunt, &, vt Timon ille dixit, vitam non vitalem viuit. Itaque satiùs est nullum esse, quàm auarum. *Nullum vitium tetrius est, quàm auaritia, præsertim in principibus & Remp. gubernantibus: habere enim quæstui Remp. non modò turpe est, sed sceleratum etiã & nefarium.* Iuuenes natura profusi hoc vitio minùs tentantur: at *auaritia senilis vituperanda est maximè. Potest enim quidquam esse absurdius, quàm quò minùs viæ restat, eò plus viatici quærere?* Aurum lapide Lydio, homines auro proban-

Psal. 75. 6.

Laert. l. 4. cap. 7.

Cic. lib. de offic.

Idem in Cat. Maiore.

probantur; quod qui potest contemnere, potest cœlum emere; qui autem adorat, in laqueum diaboli incidit, vnde se difficillimè extricat. Quia, vt orator dixit, *auaritia insatiabilis, immensa, & incredibilia potest. Ita enim hominum mentes obstrictas tenet, vt eas, nullo tempore, respirare permittat.* Quin eò impellit, quò canem Æsopicum impulit cupiditas; is haud exiguam carnis partem ore gerens, dum vmbram eius in aqua captat, veram prædam amisit. Ita futurorum bonorum vmbra sunt omnia huius mundi bona, quibus dum mortales inhiant, cœlestia perdunt; qui, sicut hydrope laborantes, quantò plus aquæ in ventre habent, tantò ampliùs in perniciem suam sitiunt; sapientiùs facturi, si non possessioni augendæ, sed cupiditati minuendæ studerent. Sicut enim *qui metallorum operi traditi sunt*, ait S. Pater, *nullum inde emolumentum, nullas opes consequuntur, sed periculo magno, atque detrimento suo, alijs laborant, nihil prorsus de sudore, de labore, & morte, quàm plerumque obeunt, ad fructum suum inde conuertentes: ita & illi, qui non sibi, sed alijs diuitias quærunt, immo & bis multò miseriores sunt, quoniam mors doloris finem illis, his, quos gehenna expectat, veræ afflictionis initium affert.*

Cic. in Vatin.

S. Chrysost. hom. 50.

Manil. lib. 4. Astron.

Ergo

*Quid tam sollicitis vitam consumimus annis?*
*Torquemurq́; metu cæcáque cupidine rerum?*
*Æternisq́; senes curis, dum quærimus æuum,*
*Perdimus, vt nullo votorum fine beati?*

CAPVT

# CAPVT III.

## LVXVRIA QVANTVM SIT MALVM, ET QVANTORVM MALORVM CAVSSA, PVELLÆ, ET VIDVÆ HISTORIA, DOCETVR.



*Ad omne caput uiæ ædificas ti signum prostitutionis tuæ. Ezech. 16. 25.*

### PARS PRIMA.

NOBILIORES, in Gallia, fæminæ quædam, cùm in publicum etiam procedunt, nigram fronti, vel genis plagulam agglutinant, quam quidam Germanus nunc de fronte in maxillas, aliàs de maxil- I. VIRTVTES VITIORVM DEFORMITATE SPECTATA.

ILLVSTRIORES APPARERE.

maxillis in frontem magnæ heroidis migrasse conspicatus, interrogauit, quid illa, vel vulneris, vel vlceris tam vagi plagula tegeret? aut cur hodie vlcus velatum aliam, quàm heri, stationem haberet? Responsum est, splenijs quidem veterum litteris inscriptas frontes fuisse vestitas, alium autem esse morem harum feminarum; quæ plagulam illam, non tanquam cataplasma vultui affigant; sed vt atro eius colore niueæ cutis commendent venustatem. Hinc à gynæceo *muscam pulchritudinis* appellari. Quod etiam multæ è nostratibus fæminis faciunt, dum rallam tæniam capiti imponunt, vel collo circumplicant, vt (sicut in scacchorum ludo *rex ater in albo, & albus in atro*) magis, de ipsa contrarietate, in oculos incurrant. Hoc agunt fæminæ etiam illæ, quæ ita nigræ sunt, vt, etsi è camino prospicerent, tamen in Mauritania natæ viderentur. Vtuntur, cum fructu & laude, simili artificio SS. litteræ, SS. PP. & morales Philosophi, quin & omnes scholæ Theologorum; dum enim volunt virtutes docere, vitia illis opposita proponunt consideranda. Quin & ipsorum hominum virtute præditorum dignitas clarior euadit, si iuxta ponatur indignitas flagitiosorum. Quo pacto & Spartani

tani olim, vt ſobrietatem ſuaderent, ebrij hominis abſurditates in theatrum produxerunt. Tantò igitur auguſtiſſimæ Dei Matris, D. D. Theclæ, Cæciliæ, Catharinæ, Barbaræ, Vrſulæ ac ſociarum, aliarumqueDei ſponſarum illibata virginitas; & iuuenum, puellarumque nunc puriſſimè viuentium caſtitas amabilior, honoréque & gloria ac *aureolâ* dignior eſſe cenſebitur, quantò, in vno, alteroue exemplo, luxuria (quæ teſte S. Thoma, eſt *appetitus inordinatus venereorum*) maiorem infamiam, pœnamque comínereri oſtendetur. Appoſitè enim hæc cum auaritia oppugnatur, quia vel authore Ethnico, hæ *duæ res ſunt, quæ maximè homines ad maleficium impellunt, luxuries & auaritia*: ſæpe etiam ſe trahunt opes & voluptates, eſtque magna vitijs & diuitijs affinitas. Quod & Poëta indicat illis verſibus: S.Thom. 2. 2. q. 153. a. 1. Author ad Heren. l. 2.

*Admonui quoties, auro ne pollue formam,* Tibul. l. 1. el. 9.
*Sæpe ſolent auro multa ſubeſſe mala.*

Quanquam verò opulenti maiorem habeant ad luxuriandum occaſionem, tamen nec pauperes ſunt ab hoc vitio immunes, inter quos ipſos etiam plures Adonides, quàm Hippolyti reperiuntur. Vtriſque ergo exemplum narro.

II. IVVENIS OCVLORVM LASCIVIA, ET VICINIA VIRGINIS SEDVCTVS

Tempore Honorij III. Pontificis, Anno Christi 1222. scripsit egregiè doctus, & insignitè pius ordinis Cistertiensis religiosus, in monasterio Heisterbachensi, Cæsarius dictus illustrium miraculorum & historiarum libros XII. in quorum lib. 2. cap. 25. testatur, Wormatiæ, Iudæum habitasse, cui filia erat eximiè formosa. Sed quia forma non solùm fragile, verùm etiam periculosum esse bonum solet, etiam hîc naufragij caussa fuit. In vicina, immo contigua domo, degebat iuuenis clericus, humanis, quàm diuinis rebus magis addictus, Abronis vitam degens; cuius præcipua occupatio erat, in lecto, & fenestra iacere, luxuria diffluere, delicatè ac molliter viuere, Oscè, non Latinè loqui, arbitrari formas. Neque enim, vt Iob olim, *pepigerat fœdus cum oculis suis.* Neque illud menti infixerat: *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* Inter primas igitur curas illi erat, spectare & spectari. Verè Plato, *amoris principium* scripsit, *esse oculos*: & rectè Musæus oculos *quasdam velut cordis ansas* esse aiebat, *quibus caperetur.* Hinc & alius dixit Poëta: *Si nescis, oculi sunt in amore duces.* Multi bibendo, plures videndo hauriunt venenum.

Iob. 31. 1.

Eccli. 9.5.

Plato dialog. de Amore.

Musæus in Leandro.

nenum. Quod & huic iuueni contigit. Emiſſitijs oculis virus traxit; vt dicere poſſet:

*Vt vidi? vt perij! vt me malus abſtulit error?* Virgil. Ecl. 8.

& illud: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam, in cunctis filiabus vrbis meæ.* Qua via Thren. 3.51. plurimi incipiunt perire. In obuios & obuias obtutum figunt, neque vllam ſinunt formam præterire, cuius non ſumantur cupiditate; toties attoniti, quoties rapti; quaſi Meduſam aſpexiſſent. *Laſciui aſpectus*, inquit Clemens Alex. l. 6. Strom. cap. 1. Clemens Alexandrinus, *& verſatilibus, & tanquam conniuentibus oculis intueri, nihil eſt aliud, quàm oculis mœchari, cùm per eos cupiditas ineat, prima pugnæ præludia.* Tales oculos S. Baſilius, *libidinis pronubos, ac quaſi lenas* vocat, S. Petrus, *plenos adulterij. De longe vidit Dauid illam, in qua captus eſt: mulier longè, libido prope,* ait S. Auguſtinus. Nec quidquam eſt caſtitati magis perniciosum, quàm cum Iſæo illo Aſſyrio ſic *oculis laborare.* S. Baſil. lib. de vera virgin. 2. Petr. 2. 14. S. Auguſtin. in Pſal. 50. Iuuenis igitur iſte in nullam vel frequentiùs, vel libentiùs oculos impegit, quàm quæ & viciniſſima erat, & ſpecioſiſſima. O occaſio, quot fures facis? Nemo, præter cynigeros magicis artibus vtentes, ignem accendit in ſtabulo aridis ſtraminibus pleno. Soli iſti ni-

gri errones modum nôrunt, quo flamma innoxia, & stipulas & stuppam lambat. At nos audaculi mortales, sine vlla vel arte, vel virtute, stramen & ignem iungimus, & incendium non formidamus? Si, in vicinia esse Sirenum, nocet, quid fiet si ad illas prorsus adnauigamus? si in eadem, cum Circe, domo habitamus? *Quid tibi necesse est*, ait S. Hieronymus, *in ea versari domo, in qua necesse habes quotidie aut perire, aut vincere? quis vnquam mortalium iuxta viperam securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certè solicitat. Securius est, perire non posse, quàm iuxta periculum non periisse.* Immò periisse. Quod iuuenis iste probè expertus est. Sed & Iudæi filia sensit. Vt enim clerico puellæ forma, ita puellæ placuit Clerici pecunia, & magis etiam dona. Ergo vbi animaduertit, se cum cura aspici, tantò lentiùs clerici ædes transiuit, vt tantò diutiùs aspiceretur. Summopere enim sibi plaudunt fæminæ, si vident, se aliis placere; & placere autumant, si intelligant, oculos à se non auerti. Ægrè siquidem, quæ deformia sunt, aspiciuntur: vti & pulchra visum inuitant atque irretiunt. Nam, vt S. Ambrosius ait, *teritur officiis pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia soluitur, dum vrbanitas affecta-*

S. Hieronym. ep. 47. ad matrem viduam & eius filiam.

S. Ambr. lib. de virgin.

*affectatur*. Neque ista pro exiguis habenda sunt. Non enim hîc valet illud dicentis, *mel summo digito, non caua manu gustandum esse.* Ionathæ quantum periculũ creauit, vel summitate virgæ id attigisse? ex vna scintilla, quanta sæpe incendia extiterunt? Quid non effecit in puella officiosa clerici huius vrbanitas? Quia enim facilè vicissim probamus eos, à quibus probamur, & pronum est hominibus amantes redamare, cœpit formosula illa Iudæi filia & ipsa pecuniosum præsertim iuuenem Clericum curiosiùs obseruare. Philostr. in Soph.

*Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,* Iuuenal. sat. 6.
*Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm*
*Auribus extensis magnos committit elenchos.*

Fecit itaque quod Salomon in procaci muliere descripsit; nam postquã & ipsa totos dies, velut illex auis ad fenestram sedit, cantuque se adesse monuit; præsertim autem postquam tempus exeuntis & redeuntis, vel è schola, vel ex Ecclesia iuuenis Clerici exactè nouit, omni vigile diligentiùs excubuit, ne eum negligeret prætergredientem, & pileum illicem deponentem; quem & vicissim blando risu

risu nutuque de fenestrâ resalutauit; beatam se iudicans, si eius se aspectu solari potuisset. Vetus verbum est, *vltronea merx fœtet*, & quæ corrumpi incipiunt venum exponuntur. Machæropeus, qui domi habet gladios & pugiones inauratos, ante tabernam exponit ensem & ferramenta rubiginosa. Ita castæ & bonæ indolis virgines domi clauduntur, effætæ, & de quarum nuptijs desperatur, in fenestris, & ianuis, & plateis identidem conspiciuntur oculis prostitutæ; &, ni fallor, hinc inhonestæ etiam *prostibula* appellantur, quia ante *stabula*, quæstus caussa, prostabant olim, nunc ante stabula & ostia quæuis. Hinc nemo quærat, cur Hebræa puella non manserit casta.

Propert. l. 3. eleg. 11.

*Certa quidem tantis caussa est manifesta ruinis,*
*Luxuriæ nimium libera facta via est.*

Dabat ipsa vicinia ius iuueni, vt Iudæum subinde inuiseret, & cum eo se negotium habere fingeret, vel ludens potitaret. Quanquam non tam pater illi, quàm filia cordi erat, quando domum illam intrauit. *Nempe pater titulus, filia caussa fuit.* Libentiùs autem ædes illas subibat, quando parentes ex negotio abesse cognôrat. Ea ars erat, vt patrem quæ-

quæreret, quando volebat filiam reperire. Et volabant nonnunquam vltro citroque schedæ litteræque, quæ absentiam illam vel indagarent, vel proderent. Hoc est, quod Salomon caueri iussit, in illa muliere, à se descripta, cum dixit: *Prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit. De fenestra enim domus meæ, per cancellos prospexi, & video paruulos, considero vecordem iuuenem, qui transit per plateam, iuxta angulum, & prope viam domus illius, graditur in obscuro, aduesperascente die, in noctis tenebris & caligine. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Apprehensumq́; deosculatur iuuenẽ, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro salute voui, hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto: aspersi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo. Veni inebriemur vberibus, fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. non est enim vir in domo sua; abijt via longissima. sacculum pecuniæ* Prou. 7. 4.

*secum*

*secum tulit: in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinat ad laqueum, & nescit, quod de periculo animæ illius agitur.* Eleganter S.Hieronymus ait: *Caue, ne domo exeas, & velis videre filias regionis alienæ; quamuis fratres habeas Patriarchas, & Israel parente læteris. Dina egressa corrumpitur. Nolo te sponsum quærere per plateas. Sponsus in plateis non potest inueniri.*

S. Hieronym ep. 22 ad Eustoch.

III. OCVLORVM CVSTODIA QVAM NECESSARIA?

Videte hîc, quantum noceat, quod vos, ô iuuenes, parui facitis, quod exiguum esse, existimatis, quod apud vos quotidianum est. Maximi sæpe exitij principium est, oculos incautè aperuisse, & vidisse. Rariùs Basilisci, quàm eiuscemodi Medusæ occurrentes nocuerunt. *Cum sit inuisibilis anima,* ait S. Gregorius, *nequaquam corporearum rerum detestatione tangitur, sed per quinque corporis sensus, quasi per fenestras interiora respiciens concupiscit. Hinc etenim Ieremias ait: Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur,*

S. Greg. 12. Moral. c. 2.

Ierem. 9. 21.

*tur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis, &c. Vt ergo S. Iob cogitationes cordis castè seruare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne priùs incautè aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Neque enim Eua vetitum lignũ contigisset, nisi hoc priùs incautè conspiceret. Scriptum quippe est: Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, &* Gen. 3. *comedit. Dauid secundùm cor Domini electus,* ait S. Hieronymus, *& qui venturum Christum sancto sæpe ore cantauerat, postquam deambulans super tectum domus suæ Bethsabeæ captus est nuditate, adulterio iunxit homicidium.* Ob hoc periculum ait Christus: *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorũ tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Quid nocet vidisse? inquiunt nonnulli. Plurimum, & tantùm, quantum hostem in vrbem admisisse. Vt enim hostis in vrbem irrumpens spoliat, vastat, incendit omnia; sic vel vnicus aspectus aufert tibi quietem, tollit cogitationes serias & honestas, animum

S. Hieronym. ep. 22. ad Eustochiũ.

2. Reg. 11. 2.

Matth. 5. 29.

Thren. 3. 51. animum libidine inflammat. Quod ille queritur, qui ait: *Oculus meus deprædatus est animam meam, in cunctis filiabus vrbis meæ.* Et si vis scire, quò progressus sit iuuenis clericus ab aspectu? ad colloquium, ad oscula, ad stuprum. Quare meritò D. Hieronymus oculorum nutus, *moritura virginitatis principia* appellauit. Et Prosper Aquitanicus refert, puellam Veneris simulachrum impudentiùs intuitam à dæmone insessam. Quemadmodum & Leontius, in vita Simeonis Sali memorat, illum, quem Simeon inflictâ alapâ curauit, ob stupri consuetudinem à Spiritu malo arreptum. Si enim vel oculus peccans sic plectitur; immo, si, teste D. Gregorio; matronam nobilem in publica supplicatione cacodæmon inuasit, quòd *carnis*, vt ipse loquitur, *voluptate victa, a viro suo non abstinuerit*, quando sequenti die, Oratorium S. Sebastiani, cum processione reliqua fuit intratura; quanto minùs parcet immundus Spiritus illis, qui propudiosi formarum arbitri, non solùm de fenestris, & in plateis, sed in ipsis etiam Deo consecratis templis, oculos, tanquam venaticos canes, emittunt, vt prædam indagent, & pestem animæ reportent? O quantam in hos nanciscitur Orcus potestatem? quàm eos

S. Hieronym. in vita Hilarionis.

S. Greg. l. 1. dial. c. 10.

agitat?

agitat? ad quas non fœditates gradatim præcipitat? Quod agnoſcens Antiſthenes, quodam delicias prædicante, *Hoſtium*, inquiebat, *filijs contingat, in delicijs viuere:* quia à delitijs in quod non dedecus venitur? Laërt. l. 7. cap. 1.

IV. VITIORVM CATENA.

Vitia enim ſunt inſtar catenæ, in qua annulus annulum trahit: ſemper creſcunt, niſi citò rumpantur, aut, vt incendium, in ſcintilla opprimantur. *Doctiſſimi viri vox eſt,* ait S. Hieronymus, *pudicitiam in primis eſſe retinendam: qua amiſſa, omnis virtus ruit.* Et ibidem. *Amor formæ rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximus, fœdum minimeq́ue conueniens animo ſoſpiti vitium: turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit; à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; querulos, iracundos, temerarios, durè imperioſos, ſeruiliter blandos, omnibus inutiles, ipſi nouiſſimè amori facit. Nam cùm fruendi cupiditate inſatiabili flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, lachrymis, conqueſtionibus perdit, odium ſui facit, & ipſi nouiſſimè ſibi odio eſt.* Et. S. Ambroſius ait: *Sæuus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium, amentes inquietat, lapſos inclinat, nullus peccandi modus, & inexplebilis*

S. Hieronym. l. 1. aduerſ. Iouinian.

S. Ambr. lib. 1. de Cain & Abel c. 5.

*scelerum sitis, nisi morte amantis extingui non potest.* Et alio loco: *Quasi clauis suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, vnde descendit, sine Dei fauore, reuolare. Actuum enim suorum vincla laqueis, & secularium deliciarum illecebris obnoxia iam tenetur.* Vnde & hoc par iuuenum eò processit, vt, amissa integritate, fœdis amoribus vacarent. Quo in flagitio, perierunt Verecundia, Honestas, & irreparabilis thesaurus Virginitatis; Castitasque voluptatum carnis moderatrix. Et quanquã fornicatio cum infideli sacrilegium non est, est tamen in eadem specie fornicatio grauior. Vt autem nulla voluptas maiorem post se trahit animi perturbationem, ita ingens breui anxietas orta est in animo puellæ. Quæ, vbi se prægnantem ac vterum ferre sensit, metu ac solicitudine plena, id quàm primùm iuueni indicauit, consilium ab eo petens, & remedium; parata infantem antè occidere, quàm eum peperisset, nondum genitrix, & iam interfectrix. Ruborem enim aiebat, se ferre non posse; quamuis eum dudum iam perdidisset. *Est enim verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est,* vt ait S. Ambrosius.

Idem. c. 4. in Lucam.

S. Ambr. l. 1. c. 19. de offic.

Vere-

Verecundia igitur & pudore amisso, tanquã excusso freno, etsi peccabat magnâ licentia, tamen nolebat peccasse videri. Super hæc *& me miseram*, inquiebat, *in legem nostram grauiter deliqui; parentem hoc facinus meum ita in me incitabit, si resciuerit, vt me crudelissimis modis sit interfecturus, clam cruciandam, quæ olim palam lapidanda fuissem.* Iuuenis, vt erat versipellis, atque ad fallendum ingeniosus, bono eam animo esse jubet, facili se negotio remedium inuenturum, aut rimam, qua elabantur. Certabat in vtriusque animo dæmon de via inuenienda. Feminæ quid aliud occurrere poterat, quàm vt arctè se constringens fætum immaturum suffocaret, aut tumentem vterum dissimularet; vel veneno pelleret, quod conceperat; aut editum in cloacam abijceret; vel fuga sibi consuleret; aut nece sibi ipsi manuq; violenta illata pœnam meritam præueniret? Vel probior, vel nequior fuit iuuenis. *Si dixerit*, inquit, *tibi pater tuus, vel mater, quid est, filia, venter tuus intumescit, videris nobis concepisse? respondebis: Si concepi, nescio, hoc scio, quia virgo sum, & nondum virum cognoui.* Hæc respondebis, inquit, cetera meæ curæ relinquito; ego eos naribus traham, & probè efficiam, vt credant tibi,

ſitq́; honori maximo, pudicitiam perdidiſſe. Ita à ſe diſcedunt. Iuuenis, dum ſecum varias rationes exputat, hoc conſilium inuenit. Nouerat cubile Iudæi, in ima parte domus eſſe, & vergere in plateam. Ad eius valuas intempeſta nocte, accedit, longiore arundine inſtructus. Ibi foramine modico reperto arundinem ad dormientes intromittit, & velut per fiſtulam ſibilans, verbaque infundens hæc fatur: *O iuſti, & Deo dilecti* (proprijs nominibus eos exprimens) *gaudete, ecce filia veſtra virgo concepit filium, & ipſe erit liberator populi veſtri Iſrael.* His dictis, paulatim & ſine ſtrepitu, arundinem foras ad ſe retraxit. Voce tali, tam inſolita, Iudæus expergefactus, vxorem quoque euigilauit: quam ita eſt allocutus: O chara mea, non te excitauit quidquam? non audiſti vocem cœlo miſſam? Angelus adfuit. Vxore nihil ſe audiſſe affirmante; ſurgamus ait, & humi iacentes Iehouam oremus, vt & tu vocem illam audire merearis. Hæc iuuenis, ad feneſtram foris aurem applicans, omnia ſolertiſsimè excepit. Animatior ergo, illis aliquantulum orantibus, eadem, quæ priùs inſuſurrauerat per canalē verba, repetiuit, &, coronidis loco, adiecit: *Magnum debetis filiæ veſtræ honorem exhibere,*

*magnam*

*magnam curam adhibere, & cum multa diligentia ſeruare puerum, de eius virgineo corpore naſciturum, ipſe enim eſt Meßias, quem expectatis.* Dixit, & arundine ſilenter ad ſe reducta, riſum continere non potuit, cùm porrò audiret Hebræos coniuges inter ſe ſe mirè ſibi, de ſpurio Meſſia gratulantes. Vbi paululum, ad cachinnum exonerandum, ſeceſſit, auſcultatũ denuo rediuit, intellexitque, quàm libenter audierint, crediderintque, *ſe eſſe iuſtos, & Deo dilectos*; quantique ſe fecerint, quòd ipſi eſſent parentes eius Virginis, quæ Meſſiam eſſet paritura. Et verò ludibrium ſubeſſe non poteſt, inquiebant, cum vox eadem fuerit iterata; &, non dormientibus, ſed vigilantibus, & preces ad cœlum fundentibus audita. Denique hoc eos, vt plerumque nimis credulos, maximè fefellit, quia falli ſe non poſſe arbitrabantur. Nihil ea ampliùs nocte ſomni capiebant, horæ omnes nimis longæ videbantur; diem properare, ſingulis penè momentis temporis, optabant. Lux vbi vel crepera terris eſt reddita, citatam ad ſe filiam oculis metiuntur, & ſolito pinguiorem factam deprehendunt ſimillimamque prægnanti. Tum ſeriò atque ex animi ſententia fateri iubent, vnde illi vterus creuerit? Il-

la non diu responsum meditata, illico, vti à proco instructa erat, dixit, Virginem se esse illibatam, ceterùm si & mater sit, virtute id altiore factum esse debuisse. Huc ducit impudentia. *Erubescere debemus, & condemnare peccatum, non defendere*, ait S. Ambrosius ille officiorum *magister, quoniam pudore culpa minuitur, defensione cumulatur.* Cumulauit & hæc puella culpam apud mortales pariter ac immortales.

S. Ambr. lib. de Abel & Cain.

V. INFAMIS ET MISER EXITVS VANITATIS ET IMPVRITATIS.

Vidisses parentes, præ gaudij magnitudine, se non capientes. Et, quia magnæ lætitiæ animorum, non possunt premi, illico vicinis, vicini familiaribus, hi amicis suis dicunt, scribunt, narrant, & quæ ab Angelo manifestata, & quæ à filia Virgine modestissima modestissiméque intellecta fuissent. Ex rumore fama, è fama fit in omnibus plateis clamor, & ingens congratulatio omnium synagogarum. Concurritur vndique è pagis, castris, vrbibus, ad virginem videndam, salutandam, munerandam, quæ Messiam esset paritura; congeruntur dona, honores exhibentur. Sed nemo omnium suam personam meliùs egit, quàm puella, doctissimè simulans sanctitatem, & in sinum suum ridens, quòd, cùm lupanari debita esset, throno Salomo-

nis

nis digna censeretur. Insultabant iam etiam Iudæi Christianis, quòd, in eum vsque diem, gratis Christum pro Messia habuissent, & in eo impletum iactassent, quod Isaias esset vaticinatus: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel:* Isa. 7. 14.
Iam demum apparere imposturam Christianorum, Iudæorum verissimam veritatem. Talia, per totam ciuitatem Wormatiensem, perque dissita etiam loca, non sine offensione multorum, quotidie iactabantur. Verè, tu Deus, *odisti obseruantes vanitates superuacuè*; Psal. 30. 7.
&, *in vanitate sua apprehenditur peccator.* Eccli. 23. 8.
Nam inanissimos hos triumphos in magnum luctum conuertisti. Aderat iam tempus pariendi, quo ingens ad domum puellæ confluxit multitudo Iudæorum cupientium *noua natiuitate diu desiderata lætificari. Sed iustus Deus, vanam spem iniquorum conuertit in fabulam, gaudium in tristitiam, expectationem in confusionem.* Vt enim eorum *patres olim, cum Herode, de natiuitate salutifera filij Dei turbati sunt*; ita & ipsi gaudere de vanitate in luctū desiturâ merebantur. Adfuit ergo tandem hora partionis, & ecce, ad aliarum mulierū morem, dolores, gemitus, clamores exaudiebantur, & prope Corybantes necessarij

erant, qui cymbala pulſarent, ne tanti puellæ eiulatus à gente Hebræa, ante fores, & in plateis ante domũ ſtante perciperentur. Quanquam ij clamores vocibus Iudæorum ſatis confundebantur, identidem clamantium, *Meßia, Meßia veni, deſiderium collium æternorum, deſiderate cunctis gentibus*. Magna expectatio, magna illuſio. *Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus*. Nam hæc dum clamarent magnis vociferationibus, prodijt tãdem infans in lucem, ſed infelciter; metamorphoſi prorſus inopinata: non enim Meſſiam, ſed puellam peperit putata virgo; cuius ſpes omnes, omnis honor, gaudium omne, in irritum ceciderunt. Riſerunt Chriſtiani Meſsiam feminam; triumphauit vera Religio; data eſt in ruborem vanitas: Mendacium ſutorio atramento abſolutum: Iudæi tantæ ignominiæ impatientes, penè dirupti ſunt indignatione; quorum vnus in furorem datus arreptum pede infantem ad parietem alliſit; mortemque infanticidio, ipſe etiam meruit. Parentes, poſtquam puerperam tormentis adegerunt prodere ſtupratorem, penè ipſi etiam luctu contabuerunt. Filia præ pudore, non auſa eſt ampliùs in publico comparere, omnium digitis notanda, men-

ſis

ſis omnibus narranda, omnibus ſeculis cantanda. Hunc finem habet infamis voluptas. Verè D. Hieronymus exclamat: *ô quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio!* fœtentior hirco. Vnde in Emblemate, Andr. Alciat. Emblem. 72.

*Eſt eruca ſalax, indexq́; libidinis hircus.*

VI. INFAMIA LIBIDINOSORVM.

Nullum certè peccatum eſt magis erubeſcendum, nullum, ipſa natura duce, homines magis occultare nituntur; vnde & *inter opera tenebrarum* præcipuè computatur; & à S. Paulo *paſsiones ignominiæ* appellantur, Rom. 1. 26. quæ ad hoc peccatũ incitant. In inferno, igne ſulphureo punientur luxurioſi, quia ſummus eſt fætor huius flagitij. Quod etiam ita punitum eſt, in hac vita, quando *Dominus pluit* Gen. 19. 24. *ſuper Sodomam & Gomorram ſulphur & ignem.* Et punitum eſt per *paſsiones ignominiæ*, in multis viris, reprehenſas. Tigillinum præfectum vigilum & prætorij, inter ſtupra concubinarum & oſcula, ſectis nouacula faucibus, inhoneſtam clauſiſſe vitam, ait Corn. Tacitus. Speuſippum Philoſophum de Platonis ſchola in adulterio turpiter perijſſe, refert in Apologetico Tertullianus. Ignominioſum eſt hoc viris, & pro fræno eſſe poteſt. Sciuit Deus muliebris ſexus, in hoc vitio, fragilitatem, quare, velut frænum aliquod, aut anti-

dotum, illis à natura adiecit maiorem quandam verecundiam naturalem; quæ nisi esset, paucæ castæ essent. Plurimæ enim magis se continent, ne coram hominibus erubescant, quàm ne Deum offendant. Vident, nihil esse contemptibilius muliere impudica; quippe *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur;* nullus vult eam honestus ducere; nulla honesta matrona vult eam in domo seruare. Inter maxima conuitia est, & velut per compendium dedecus omne arguitur, si qua *meretrix* appellatur. Certè, iuxta Apostolum, quæcunque domina sciens ancillam suscipit, & in domo sua retinet infamem, meritò & ipsa pro infami lena aut meretrice est habenda: *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Igitur, si non culpa, saltem infamia tales debet frænare. Ad hoc enim data est *verecundia, quæ est dolor quidam ac perturbatio ex malis aut præsentibus, aut futuris infamiam inferentibus proueniens*, vt vult Philosophus, seu vt S. Thomas, est *timor turpitudinis exprobrabilis, qui principaliter respicit vituperium, culpã consequenter*: ad hoc pudicitia, qua quis verecundatur de actibus, de quibus homines

Eccli. 9. 10.

Rom. 1. 32.

Aristot. lib. 4. Ethic. & lib. 2. Rhet. S. Thom. 2. 2. q. 116. a. 2.

magis

magis verecundantur, & infamantur. Hanc in puellis infamiam prodit venter; vt negare non possint, quod natura testatur. Et, quamuis, vtique à corruptis, inuentæ sint vestes mulierum nouæ, in orbem distentæ, ac circa lumbos, instar abollæ, longè latéque diffluentes, & follicantes, quæ vterum iam grandem & partui proximum possunt cælare; prodit tamen certè vel ipse partus tandem claro vagitu facinus matris suæ; qui nihil aliud clamat, quàm vt crimen eius accuset, quæ, si, quod professa est, fuisset, eum non peperisset. Siquidem, post verum Messiam genitum, nulla ampliùs virgo parit. Ploratu itaque proles ait: *in peccatis concepit me mater mea*: nec iam ab Adamo prima mea duntaxat origo, sed hæc proxima quoque me contaminauit: ita *ex ore infantium* Deus manifestat veritatem. Quanti sit pudoris hoc flagitiũ, testantur illæ ipsæ impurissimæ meretrices, quæ, præ pestilenti verecundia, id confiteri omittunt, vt à Confessario virgines putentur. Quas non tantùm impudicas, sed etiam sacrilegas postea fuisse intelligit, quando se se veritas prodit. In sacro tribunali humiles nos esse oportet, quando autem ad inhonesta allicimur, ibi verecundos. O quàm erubescent, in ex-

in extremo iudicio iſtæ, quæ coram vno ſacerdote, non audent turpitudines ſuas accuſare, eoque homine, & ſciente humanam infirmitatem? quantus pudor, quæ infamia erit, coram toto mundo ſtare, & proclamari meretricem, mendacem, ſanctitatem & innocentiam fingentem, denique ſacrilegam, & SS. Pœnitentiæ & Euchariſtiæ violatricem! *Hominem vereris præſentem*, ait S. Ambroſius, *Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti non vereris præſentiam?* Quos non conſcientiæ morſus ſentiunt, quæ à parentibus, à famulitio, ab ipſo facinoris conſcio ſtupratore, ſe audiunt virgines ſalutari? Nonne amariſſima eſt ironia, ſi te virginem vocat, qui fecit meretricem? Quanta enim laus eſt virginitatis, tantum dedecus eſt in impuritate. *Pudicitia*, inquit S. Cyprianus, *eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput, &c. Sed vt matura & in viris probata ſemper, & à feminis appetenda: ſic inimica eius impudicitia ſemper eſt deteſtanda, obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis, nec corporibus parcens, nec animis.* Tantam habet vitium carnis fœditatem, vt nomen *turpitudinis* propriè ſortiatur. Omnia enim, vt S. Thomas

S. Ambr. in Pſal. 118.

S. Cyprian lib. de bono pudicit.

Thomas docet, sēnsu & cupiditate carnali, S. Thom.
qui nobis communis eſt cum beſtijs, non ra- 2. 2. q. 156.
tione metitur. Qua de cauſſa Ariſtoteles alij- a. 4.
que Ethnici Philoſophi luxuriam, inter bel- Ariſtot. 7. Ethic.
luina vitia enumerauerunt; & Dauid luxu- c. 6.
rioſos dixit *fieri, ſicut equus & mulus, quibus* Pſal. 31. 1.
*non eſt intellectus.* S. Petrus illos comparauit
*ſui lotæ in volutabro luti;* S. Paulus eos eſſe aſ- 2. Petr.
ſeruit, *quorum Deus venter eſt, & gloria in con-* 2. 22.
*fuſione ipſorum: qui terrena ſapiunt.* Quorum Phil. 3.
omnis *fortitudo in lumbis, & vis, in vmbilico* 19.
*ventris eſt.* Nihil ita homini charum eſt, vt Iob. 40. 11.
honor, appoſuit Deus libidini ignominiam,
vt tantò magis ab ea abhorreret, quantò mi-
nùs vult honoris pati detrimentum. Eſt enim
vitio huic adeò annexa infamia, vt ob illud
Magdalena non ſolùm à Phariſæo, ſed etiam
ab ipſo Euangeliſta *peccatrix* appellaretur. Luc. 7. 36.

VII. B. MARIAE VIRGINIS NOMEN, REVERENTIA, SODALITATIS, CASTITATIS MOTIVVM, LILIA.

Vt autem pudore tantò magis deterreantur, non tantùm notantur impudicæ, quando vocantur *peccatrices,* ſed etiam quando proprio nomine nuncupantur. Pleraq; enim feminarum nomina ſunt virginum nomina, aut certè non modò honeſtarum, ſed etiam ſanctarum matronarum. Quid putas tibi dici, ſi inhoneſta es, quando Cæcilia, Thecla, Catharina, Barbara, Vrſula, Margarita aut Martha

Martha vocaris? Hungari, reuerentiæ cauſſa erga Dei Matrem *Dominam ſuam*, nulli alteri fæminæ nomen *Mariæ* imponunt. Quàm indignum fuit, Iudæi huius obſcœniſſimâ filiam tantùm ſibi ſumere, vt, ad tegendum facinus, ſe ſineret, pro *Meſſiæ matre*, haberi, & honorari? ita indigniſſimum eſt, te tantæ Virginis nomen ferre, & non imitari virtutem; ſed ſcortari, mœchari. Verùm ad vos me conuerto, Mariani Sodales, quorum hodie patrona, Angelo nunciante, in Matrem Dei electa colitur, vos nolite prædictum iuuenem Clericum imitari, qui otio, ignauiæ, Baccho & ventri deditus, aliud fortaſſe è diuinis litteris nihil ſciuit, quàm vt Iſaię de Virgine paritura vaticinium, in ſcurrilem iocum, & *ad excuſandas excuſationes in peccatis* adhiberet. Væ, qui ſe Virginis profitentur miniſtros, & in ſordibus verſantur, die ac noctè! *Virginũ illa virgo eſt*, non meretricum, non ſcortatorum, non libidinoſorum. Nullos magis puriſſima auerſatur, quàm impuros; caſtiſſima quàm inceſtos, intemerata, quàm maculis omnibus inquinatos. A Deo, atque ex Euangelio diſcite, quales eſſe oporteat, qui Luc. 1. eius eſſe in familia volunt. Ad *Angelorum Reginam & Dominam* miſſus eſt Angelus Gabriel. Matth. 22. 30.

brief.

briel. Qui ſunt Angeli; vel Angelis pares, immo ſuperiores? *qui non nubunt, nec nubuntur;* qui in carne viuunt ſine carne; inter delicias ſine voluptate. Hi non tantùm Angeli ſunt, ſed Angelis, hoc nomine, maiores; Angeli enim, quia non tentantur, non pugnant, non vincunt, nec referunt coronam ſuæ caſtitatis. Vobis magni ea virtus conſtat. Rogârat aliquando religioſus, Cupidine exagitatus, F. Ægidium, quo ſibi antidoto, aduerſus hoc morbi genus, vtendum arbitraretur? *Quid,* inquit ille, *mi frater, quid moloſſo te inceſſenti faceres? Saxo,* dixit alter, *aut fuſte ita exciperem, vt fugere compelleretur.* Tum S. Ægidius, *Ita cum carne tua, quando laſciuire incipit, age & deſinet moleſta eſſe.* Sic, diuinâ gratiâ, vos carnem veſtram tractatis; atque, vt, quæ priuatim ſcio, plurima omittam, ardor corporis caſtigandi, & è multitudine, & è ſeueritate ſe ſe flagellantium heri eluxit. Mirati ſunt multi tantam auſteritatem; multi ad imitandum exarſerunt. Si vſus eſſet his remedijs clericus ille iuuenis, longè meliorem nobis hiſtoriam reliquiſſet. Itaque ille abominatio fuit Deiparæ, nec jam Angeli, ſed diaboli officio functus; quem non potuit, niſi vt deſertorem, & irriſorem agno-

Chron. S. Franciſci 1. p. l. 7. c. 7.

ſcere:

ſcere: cum ſimilis ſimili gaudeat, & caſtos caſta amet; impuros Virgo execretur. Vos Angelum Gabrielem imitamini, cuius inſigne eſt, vt, lilium geſtans, Mariam pingatur ſalutare. Lilium enim eſt ſymbolum caſtitatis. Supernè patet, in imo clauditur; vti & caſtus ad hæc inferiora, mundana & carnalia cor gerit clauſum; ſed apertum ad cœleſtia, vt dicat: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Sic enim etiam *mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Lilium candet, vti & caſtitas eſt pura. Lilium punctis aureis fulget, vti & caſtitas ornata charitate. Nam Christi & Matris eius amore vos ſeruatis illibatos. Lilium eſt medicina vſtionis; vti nihil magis extinguit flammam libidinis, quàm amor caſtitatis. Lilium integrum cùm eſt, candet, & miræ eſt fragrantiæ, contritum autem & læſum, ac confricatum ſplendorem pariter amittit & odorem; atque illico fœtere incipit; ita caſtitas quàm diu integra manet, cæleſtem ſpirat odorem; violata autem fœtet, vt infernus.

Phil. 3.
1. Cor. 7.

Catull. in carm. nupt.

*Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,*
*Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,*

*Quem*

*Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,*
*Multi illum pueri, multæ optauêre puellæ:*
*Idem cùm tenui captus defloruit vngue,*
*Nulli illum pueri nullæ optauere puellæ.*
*Sic virgo dum intacta manet, tum chara suis, sed*
*Cùm castum amisit polluto corpore florem,*
*Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis.*

*Quid est, iumenta putrescere in stercore suo,* ait S. Gregorius, *nisi carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire?* Quid multis opus est? ita fætet hoc vitium, vt qui ei sunt dediti, conscientia suadente, frequentare Congregationes sponte desinant, atq; seipsos excludant; quos sciunt B. Dei Matri abominandos. Quæ est maxima laus & Congregationum, & Congregatorum: nam, sicut mare, mortuos eijciunt.

VIII. IMPVRORVM INSIGNIA NON LILIA, SED CORNVA.

Cùm ergo liligeri sint casti, atque illis insignibus, ob bonum vitæ odorem, ob innocentiæ candorem, ob eminentiam virtutis conspicui esse mereantur; quibusnam insignibus notantur impuri? Nimirum fractis auribus, exesas enim sæpe habent aures, more suum, oculos sugillatos, totam faciem tube-

ribus notatam, & floribus illicitæ Veneris. Quin & fœtor illos prodit; halitus damnat; hirquiunt; neque iam hircorum contenti sunt cornibus, verùm etiam ceruorum ramos gestant; de Phryxis in Actæones transmutati. Vt enim taceam à D. Senensi Catharina, à S. Euthymio Abbate, atque alijs quibusdam Sanctis Venereos illos pusiones, cùm fortè in via transirent, de fœtore suo agnitos: *Si bene ac rectè iudicas,* ait in quadam homilia Cæsarius, *incomparabiliter grauiorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quàm cloacæ.* Certè Mallonia illa illustris Romana, quando mori sponte maluit, quàm in impuras Imperatoris delicias consentire, Tiberio non est verita, tanquam hirsuto atque olido seni, obscœnitatem oris exprobrare. Quapropter ille à vulgo *Hircus vetulus* est appellatus; honestissimo nomenclaturæ genere. De talibus supra citatus Poëta canit,

Sur. 20. Ianuarij. Cyrill. monach. in vita S. Euthym.

Sueton. in vita Tiberij.

*Est eruca salax, indexq́; libidinis hircus:*

immo ipse de talibus ait Dominus, per Zachariam: *super hircos visitabo.* Tunc scilicet, quando homines separabit *ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* Atque, vt noua quondam forma, *alienaq́; cornua*

Zach. 10. 3. Matth. 25. 32.

*una fronti Addita* Ariſtæum & Actæonem dedecorarunt, ita iſti matrimoniorum vaſtatores non ſolùm ipſi cornibus fœdi ſunt, ſed alijs quoque, cum Diana, ignominiam aſpergunt: vt dici poſſit,

*Dant ſparſo capiti viuacis cornua cerui.* Ouid. l. 3. Metam.

Quod, in Annalibus Choniates de Andronico Imp. Conſtantinopolitano memorat, qui *cornua ceruorum* inſignia & rari aliquid habentia, in porticibus fori ſuſpendi iuſſit; non, vt alij magnates in palatijs faciunt, ob ſpeciem magnitudinis ferarum, quas cepiſſet, oſtentandam; ſed potiùs, vt feminarum, quas ipſe corrumpebat, & ciuitatis mores notaret. Fertur (fabuláne, an hiſtoria, non contendo) curioſa aliquando mulier vidua intraſſe templum, vt intereſſet, dum cacodæmon ex inſeſſo eijceretur. Ibi dum varia varij ex illo Spiritu ſciſcitantur, illa quoque ſcire voluit, vbinā ſuus maritus paulò priùs defunctus eſſet? in Cœlo, an in Purgatorio, aut apud Inferas ſedes? cui amariſſimè iocoſus Satan reſpondit, neque in Cœlo eum eſſe, neque in Purgatorio, neque etiamin Inferno: ita enim eum ab illa cornibus multis magniſque eſſe oneratum, vt non modò, non per anguſtam Cœli, ſed neq; per ampliſſimam Orci

portam quiuerit intrare. Quod de vna muliercula faciliùs credi poteſt, ſi tota quædam communitas, hoc inſigne potuit tanquam honorificum acceptare. De mulierculàrum Inſubricarum licentioſa impuritate, tempore Galeatij Sfortiæ, in hunc modum ſcribit Iouius. *Ea tum erat ex multo otio luxuriantis ſeculi conditio, in ipſis præcipuè nobilioribus matronis, vt totum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ alienum prorſus & ſubagreſte putaretur: idéoq; Princeps ad licentiam libidinis proclinatus, & iuuentæ vigore venuſtateq; oris ſupra omnes ſpectatu digniſſimus procacibus feminarum oculis & deſiderijs cupidiſſimè deſeruiret. Erat enim tunc vulgatum inter feminas, nullam ex Principis concubitu fieri impudicam, earumq; maritos, qui ineptis hirci videri poſſent, ita excellere aureis* CORNIBVS, *vt dignitate cunctos anteirent.* Quò vlterius progredi poteſt cæca libido? ſi ipſa dignitatem meretur turpitudo? & ignominia nota ſignum excellentiæ exiſtimatur? Nimirum rectè Ariſtoteles luxuriam inter belluina vitia poſuit; illa enim, vt doctè S. Thomas animaduertit, omnia ſenſu', & cupiditate carnali, quæ nobis communis eſt cum belluis, non ratione metitur; quare hominem ſimilem facit equo & mulo,

Iou. in elog. l. 3.

Ariſtot. lib. 7. Ethic. c. 6 S. Thom. 2. 2. q. 156. a. 4.

mulo, *quibus non est intellectus*. Ac, ne *cornua* desint, inuenies, apud alios tauro, apud Clementem Alexandrinum, libidinosum etiam centauro, apud alios, alijs bestijs, in ignominiam, comparatum. I nunc, & sodalitatem tibi elige; libido inter bestias, castimonia, inter Angelos, te faciet sodalem: illa inter vpupas, hæc inter columbas: illa inter hœdos, hæc inter agnos te statuet. Huius pretium est cœlo dignum; illius tanta immunditia est, vt Fœlicula virgo, postquam nullis tormentis aut pollicitationibus à Christiana religione ac puritate corporis diuerti potuit, maluerit, iussu Flacci comitis, in latrinam detrudi, & ibidem mori, quàm libidine contaminari. Nulla scilicet corporis labes nocere potest, si anima se inquinari non patiatur; quemadmodū nihil iuuant corporis atque vestium munditiæ, vbi pectus plenum est sordibus pudendis & erubescendis, vultusque ipse Vitelliana cicatrice stigmosus.

Psal. 31. 9.
Clem. Alexand. l. 4. strom.

## *PARS SECVNDA.*

SED quia nonnulli adeò sunt duræ & perfrictæ frontis, vt nesciant ampliùs erubescere, ad aliud nobis remedium est veniendum. Licet, tota ciui-

IX. IRA DEI IN DETENTIONE NAVIS, ET

IMPVRAE SVBMERSIONE OSTENSA.

tate differantur, licet publicis vocibus meretrices nominentur; licet illis in faciem dicas, nomen illarum esse cum pudicitia prostitutum; licet inculces, ipsas, domum, cognatos, totam familiam dedecore affici; adhuc rident, adhuc de fenestra annuunt, adhuc velut aues illices cantu vocant pelliciuntque transeuntes, & tantùm non hederam aut myrthum præ foribus appendunt, vt ibi Bacchi & Veneris Nymphas ac ministras constet habitare; licet vaticineris, à prouinciis relegandas; licet mineris carceres & carnifices; licet dicas virgis per forum agendas, capite plectendas, nihil his omnibus mouentur; idcirco meritò audiunt: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Vbi ergo verba nihil efficiunt, ad verbera est procedendum. Apud seruiles animos plus potest corporis dolor, quàm animi pudor: perfricuerunt faciem, frons illis ænea est; cutis tenella; ictus solos sentiunt, dedecus contemnunt; sicut nec hili faciunt, quidquid viderint, à saliua, quam semel imbiberunt discrepare. Si quos itaque honestatis omnis oblitos, non commouet supra dictæ puellæ parentumque & cognatorum eius, omniumque Iudæorum tam luculenta infamia, cl-

Ierem. 3. 3.

d

des, calamitas; nôrint grauiora sibi à Deo, quàm ab hominibus impendere: nôrint Apostoli comminationem: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini:* nec morte tantùm animæ, sed non raro etiam morte improuisâ. Huius rei exemplum breue, sed illustre refert Ioan. Moschus, aliàs Euiratus, cuius liber est tantæ authoritatis, vt in ipsa quoque septima synodo citetur. Vt enim appareat, quanta sit grauitas huius criminis, Palladium adducit testem, qui à nauarcho ipso, cui id contigit, rem audiuit narrari. Is cum alijs Constantinopolim, alijs Alexandriam, alijs aliò nauigantibus, & ipse è portu soluit. Par conditio erat omnium, par tempestas, pares venti: sed nauigatio impar. Nam vbi omnes in altum iam promôrant, alijs prosperè euntibus, solus repentè, in medio mari, coactus est subsistere. Remoram piscem aiunt alioqui vim eam habere, vt nauem sistat, cui sese applicat. Sed nullus ibi piscis, nulla arena, breuia nulla, nullæ sidebant anchoræ; & tamen nauis immota stabat. Nihil venti in vela incidentes, nihil remi pellentes, nihil, qui ad clauum sedebat, vel arte, vel labore efficere potuerunt. Stetit nauis tanquā rupes. Neque verò vnius horæ duntaxat id

Rom. 8. 13.

Io. Moschus in Prat. spirit. cap. 36.

ſpacium fuit; totos quindecim dies ea nauis pertinacia durauit, Semper eodem loco hærebat, quaſi clauis affixa, aut centum anchoris aſtricta. Verſabantur omnes, in magno metu, mœſtitia, & deſperatione, inde potiſſimùm anxij, quòd cauſſam non perſpicerent, qua progreſſus nauis in liquido impediretur elemento. Quando S. Cerbonij corpus, ex Helba inſula, Populonium eſt, per mare, tranſuectum, immenſa pluuia, toto itinere, circa vtraque nauis latera, procelloſo turbine, deiecta eſt, neque vnicâ quidem gutta in nauim illapsâ. Nauis oneraria maxima, ingentes columnas vectura, è littore Troadis in mare traducenda erat, nec tamen à magna hominum multitudine, iniectis funibus trahi poterat, idque per dies complures, vt adeò à cacodæmone detineri putaretur. Rogatus eſt Siluanus Troadis Epiſcopus, vt ad littus egrederetur, & precibus ad Deum fuſis nauem promoueret. Orauit, funem leui manu apprehendit, & nauis illico ſecuta eſt ductum trahentis. Sæpe igitur vel ab Orco curſus nauium interpellatur, vel à Cœlo incitatur. Quare & ille nauclerus ope humana deſtitutus, ad diuina ſe contulit auxilia; compluresque dies Deum ardentibus

S. Greg. l. 6. dial. cap 11. Sur. 10. Octob. Socrat. lib 7. c 36. Baron. An. 434.

votis

votis rogauit, vt in tanto rerum diſcrimine verſantibus ne deeſſet. Quod & illos nautas feciſſe legimus, qui Ionam vexerunt, quando *Dominus miſit ventum magnum in mare; & facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* Quem admodum autem tunc Propheta dixit: *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis;* ita ad nauarchū hunc orantem vox da cœlo accidit, quæ diceret: *Mitte foras Mariam, & bene nauigabis.* Cogitanti, quid hoc ſibi vellet, & quænam Maria eſſet in mare præcipitanda, altera mox & repetita ſententia eſt in aures ingeſta: *Dixi tibi, Mitte foràs Mariam, & ſalui eritis.* Exclamat gubernator illico; *Maria, ô Maria!* neſciebat enim, quæ, aut vbi illa eſſet Maria. Iacebat quædam obſcuri nominis femina in angulo extremo nauis, Maria dicta, quæ ſe citari exiſtimans, *Quid fieri vellet Dominus nauis,* interrogauit? Iuſſit eam nauclerus ad ſe venire, ac, remotis arbitris, ita compellauit: *Vides, Maria, me peccatorem? non eſt numerus ſcelerum meorum; non poteſt ea pati Deus: eorum grauitas tanta eſt, vt nauim non ſinat progredi. Nimirum ego ſum onus illud propter cuius flagitia vos omnes eſtis perituri.* Dixit hæc, cum tanto animi ſenſu, vt ex- Ion. 1. 4.

emplo icta mulier in se descendens, altum ingemisceret, diceretque: *O mi nauarche, tace de tuis, ego, ego verè sum peccatrix.* Tum nauarchus, *Quæ,* inquit, *putas peccata esse, quibus Dei in te iram concitauisti? Væ mihi,* ait mulier, *non est vllum genus peccati, quo non sim inquinata. Meo merito, meâ culpâ, in hoc periculū venistis. Vna perpetraui, quod omnes luitis. Et, ne me ficto hæc animo loqui existimetis: Maritum ego habui, ex quo duos filios peperi, quorum, cùm vnus ad nouem, alter ad quinque annos ætatis venisset, coniunx mortuus est. Ego vidua, cum sine viro esse non vellem, in vicinum mihi militem oculos conieci; is me ita totam cepit, vt eum non ambita omnibus modis ambirem, intuitu, nutu, salutatione, & quia infamiã metuens, eius non ausa sum domum intrare; tandem, amoris impatiens, ad eum meos familiares mittere statui, nuptiasq; eius flagitaui.* Negant subinde, ob iustas caussas puellæ, se in coniugiũ alterius consensuras: sed profectò sæpius iuuenes ac viri cordati, quando animaduertunt, non se, sed suas opes peti; aut vident, se mirabiles cum vxore, ducturos appendices. Quod etiam miles iste vidit. Nam etsi mali de vidua nihil audiuit, etsi rogari, quàm rogare maluit, viris tamẽ ad se legatis, rotundis

dis verbis negauit, se vxorem ducturum, quæ ex altero viro filios suscepisset; hæreditatem diuidi, minui amorem, caussam dari innumeris litibus, deniq; vitricum se, non parentem nominatum iri. Ita nimirum, vt dixit S. Cyprianus, *offert dæmon oculis formas illices & faciles voluptatis, vt visu destruat castitatem.* Quippe vidua hæc militem nimis sitientibus oculis contemplata, primò calere, mox ardere cœpit; postquam autem eius potiundi sibi spem incîdi audiuit, etiam, præ amore insaniit. Quæ enim insania maior esse posset? non dormire, non quiescere quiuit; nec cibus illi, nec potus sapuit; omnia in tædium mutata sunt; denique, consueto mulierum more, & contagio iam ab Eua tracto, vetitum magis amauit: vtque desiderata, dum negantur, commendantur; ita illa non destitit, per vim, per dolum militem sibi adipisci. Quam in rem varia excogitauit, quibus sibi sponsum faceret; adiit vicinas, quæsiuit philtra, parauit veneficia; sed breuissimum illi rei conficiendæ compendium dictauit cacodæmon, quo suggerente, ex vidua facta est Medea; nam extincto omni amore naturali, duos, sibi ante hac charissimos filios, spem nominis, solamen domus, occidit,

S. Cyprianus de zelo & inuidua.

dit, ne Iasone suo carere cogeretur. Ita Veneris amor, maternum amorem strangulat; & quiduis audet, vt vel per philtra, vel per venena, vel per quæcunque flagitia, desiderijs suis potiatur. Non est dubium, commota esse viscera materna, quando vidit primogenitum, nouem annorum puerulum, grassante pharmaco, expallescentem, &, inter maximos cruciatus, cum morte luctantem, sed furor nescit frænari; & vim naturæ infert. Quare & alterum quinquennem interemit, duo funera intueri tolerabilius rata, quàm spe carere nuptiarum. O cæcus amor! ô mulier quid non facis, dum furis? Et tu, ô judex Mundi, qui hæc de cœlo aspicis, cur parcis? Non parcis, sed differs, vt patientiæ tuæ virtutem, & iræ simul ostendas æquitatem, dum tempus expectas magis opportunum, demonstrasque humani consilij vanitatem, quod se sæpe priuat maximo bono, illud, quod sperat, non consecuturum; vt vtroque careat. Hæc igitur vidua occiso vtroque filio, ac sepulto, quasi obice remoto, bona iam spe, militem foras prodeuntem obseruauit, atque in via vltro interceptum allocuta est, in hæc verba: *Scis te, à me amari, eaq; propter nuptias tuas expetij. Et vt agnoscas te amari ve-*

*ri vehementer, ecce filios meos, quos solos intellexi matrimonio nostro obstare, ex oculis remoui. Nec illibenter, vt nôris, illis me priuaui, quia ex te alios spero; quem, vt iterum nôris, quanti faciam, ecce, vt vnum haberem, duos interemi: da te igitur mihi, cui te vides sanguine meo esse chariorem.* Quàm noxia sunt consilia furiosorum? quæ ista ad matrimonium adiumento fore sperauit, ea maximè obstiterunt. Miles enim, vt cognouit, eam tam crudele facinus admisisse, iam multò magis Furiam videns auersabatur, & cum iuramento protestatus est, se nunquam in coniugium illius consensurum, apud quam illi semper in simili periculo ac metu esset viuendum. Nam censuit, eam non aliā in maritum fore, quàm in proprios liberos extitisset: quouis verbo, quouis acerbiore aspectu occasionem latrocinij accepturam. Repudiata igitur, ne scelere patefacto, magistratui ac publicæ iustitiæ obijceretur, fugit. Sed Dei manum quis effugiet? *En adsum* igitur, aiebat ad nauarchum, *age mecū, quod lubet; merui dudum perdita, omnibus modis perire.* His auditis gubernator, vir æquè moderatus ac prudens, ne quid præcipitanter ageret, nondum voluit eam in fluctus spargere; sed certiùs, vtra pars

rea

rea esset, exploraturus dixit: *Ecce ego in scapham descendam, si, me absente, nauis progredi cœperit, manifestum erit, meis illam fuisse peccatis attentam.* Dixit, in scapham se demisit, nihil promouit. Fixissima & nauis & scapha hæsit, eodem loco, eodem pondere ligata. Regressus ergo in nauim, ad mulierem conuersus ait: *Nunc & tu in cymbam egredere.* Vix in eam mulier demissa est, cum statim scapha tanquam vertiginem passa, se quinquies ingyrum circumuertens, velut tanti oneris impatiens, sponte subsidit, & cum muliere videri desijt. Nauis autem, illico *tanta velocitate cucurrit, vt tribus diebus ac dimidio*, nauigatio fuerit peracta, quæ quindecim diebus alioqui indiguisset, Deo moras compensante.

X. PECCATI PONDVS, DIVINIS POENIS INDICATVM.

Quid miramur in femina, quod regi, quod toti olim genti & exercitui contigit? quando, ô Deus, *flauit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus?* Nimirum hoc est, quod Zacharias vidit; *hæc est amphora egrediens. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.* Caro nimirum est amphora, in qua anima sedem suam habet, quæ impudicitiâ, & impietate, velut *talento plumbi, deprimitur, corpus enim, quod corrumpitur,*

Exod. 15. 10. Zachar. 5. 6. Sapi. 9. 15.

*rumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Vbi mihi discrimen vide: multi corporis castitate vsque in cœlum leuantur; alios impuritas mergit in profundum inferni. S. Maximiano Præsule Syracusano Constantinopoli Romam nauigante, in Adriatico mari, exorta est atrox tempestas, in qua diruptis velis, malus fractus, & nauis ipsa vndiq; fœdum in modum lacerata, plurimis foraminibus inimicam aquam admisit, & ad tertiam vsque Zonam impleta est, vt adeò mare æquè in naui, ac nauis in mari esset. Ibi, sumta omnes SS. Eucharistia, ad piè moriendum se compararunt. Sed eorum (maximè autem S. Maximiani) virtute, onerata fluctibus triremis, toto octiduo, à se ipsa velut vim habens, continuò progressa est; nono die, postquam ad portum incolumes omnes peruenerunt, vnus post alterum in littus exscendit; agmen clausit vltimus Maximianus, quo vix in littus egresso, eodem temporis momento, nauis, quæ aquas dudum hauserat, quasi officio suo defuncta, aquis hausta est. Adeò & ipsi triremi sua ab hominum pietate incolumitas fuit. Impietas autem tam plumbeũ pondus habet, vt ipsas etiam secum naues in exitium trahat. Vidisses vnâ tunc

S. Greg. M. lib. 3. dial. c. 30.

Lucrét. l. 2. *Antennas, proram, malos, tonsasq; natantes,*

nisi S. Maximiani virtus atque integritas nauim salubriter sustinuisset: sustinuisset periculosè nauim alteram impura mulier, neque progredi siuisset, nisi cum illa eiecta nauclerus sentinam exonerauisset. Et quia naui corpus simile esse dixi, trahit profectò luxuria in exitium naturam omnem, virosq; effeminat. Hinc Diogenes à Lacedæmonijs, ad Athenienses reuertens interrogatus: Vnde, aut quò iret? respondit: *A viris ad feminas.* Nec sexus tantùm hoc vitio euertitur, sed etiam destruitur. 1. Corpus, quod eneruat, lepra maculat, lue Venerea exhaurit. Multi dum sunt casti, sunt instar alicuius Angeli formosi: quod de S. Stephano in Concilium adducto scriptum legimus: *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderant faciem eius tanquam faciem Angeli.* Et relucet profectò ex ipso vultu pudicitia. Ast vbi libido inualuit, non tantùm fit facies petulans & immodesta, sed etiam lurida & cadauerosa, vt vel natura stigmate notet impudicos. 2. Quòd si non omnibus hoc contingit, in facie, tantum tamen est peccati huius pondus, vt plurimis etiam vitam auferat.

Laërt. l. 6.

Act. 6. 15.

ferat. Notus eſt bonus zelus Phinees, qui, quando, *vnus de filijs Iſrael intrauit, coram fratribus ſuis, ad ſcortum Madianitidem, vidente Moyſe, & omni turba filiorum Iſrael, qui flebant ante fores tabernaculi, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt, poſt virum Iſraelitem in lupanar & perfodit ambos ſimul.* Atque vt, vel natura docente, criminis iſtius inhoneſtas, ad eundem modũ, punita videatur, teſte Valerio & Plutarcho, Alcibiades Athenienſis cum Timandra meretrice, in actu Venereo, à Lyſandro eſt interfectus. Quod & Phaon hominum pulcherrimus ſuo exitio teſtatur. Nam à Mytilenæorum mulieribus perditè amatus, & ardenter appetitus, inqùe adulterio deprehenſus, diriſſimè quidem, ſed iuſtiſsimè eſt iugulatus. Quod & Paulus Diaconus narrat de Rodoaldo rege Longobardorum. Innumera ſunt exempla eorum, qui, in conclaui meretricis, ab æmulis ſunt interfecti. Neque eundũ eſt procul, factum eſt id in Mailingen loco vix vnâ horâ Ingolſtadio diſtante: ibi nobiliſſimus, ingenioſiſſimus, matri ſuæ chariſſimus filius, in menſa amaſiæ ſuæ aſſidens; atque non ſolùm inter pocula, ſed etiã propè inter oſcula & amplexus ipſos ſcorti, à riuali Num. 25. 7.

ex improuiſo ſuperueniente eſt confoſſus, vixque tantùm temporis ſuperuixit, vt per ſcalas deſcendens, vulnere manu cohibito, in fimum, qui erat ante hoſpitium, ſe proijciens, ibi moreretur, vbi ſpurciſsimæ ſuæ vitæ haberet ſymbolum ac monumentum. Extat Epitaphium illius, in Feldkirchenſi templo, quod legentes monet, vt ſi non velint parem vitæ exitum ſortiri, diſparem inſtituant viuendi rationem. Pari ferè pacto, narrat Lampridius, mortem vitæ ſimilem habuiſſe Heliogabalum naturæ portentum, quem ait, *fato à tali monſtro pœnas repoſcente, in latrina occiſum eſſe, dum ventrem exoneraret.* 3. Longè magis grauatur anima, obſcuratur intellectus, eneruatur fides, extinguitur gratiæ lumen; induratur ad bonum voluntas; roboratur ad malum. Tædet orare, templum eſt nauſea; audire de Deo faſtidium. Subeunt interea turpiloquia, blaſphemiæ, iuramenta falſa; &, vno verbo, templum S. Spiritus fit ſpelunca diabolorum. O quanta eſt iſtorum metamorphoſis! apud illos, qui angeli fuerunt, & ſponſæ Chriſti, vertitur amicitia Dei in iram & indignationem; &, ex hærede cœli fit mancipium Orci. Amittit enim talis regnum æternum, perdit beatitudinē ſummam

mam, ad quam creatus eſt; & fit reus cruciatuum æternorum. Atque, vt ex difficultate remedij vulneris grauitas æſtimetur, quàm graue malum eſſe oportet, cui ſanando Filius Dei ſanguinem & vitam fundere, per grauiſſima debuit tormenta? *Ex conſideratione remedij*, inquit S. Bernardus, *periculi mei æſtimo quantitatem*. Quid putemus? quantum oportet eſſe peccati pondus? primos parentes noſtros depreſſit, atq; è Paradiſo extraxit; ipſum Luciferum & Angelos, è cœlo in terram, immo infra terram deiecit. Et, vt videas, vel luxuriæ grauitatem: vnius liberi cum libera peccandi libido, immo matrimonium duntaxat, non ſine raptu petitum, totam euertit ciuitatem Sichimitarum. Plurium autem cæca voluptas, picem, ſulphur, ignem de cælo deuocauit, vt oſtenderetur, quanta, poſt hanc vitam, in Acheronte incendia eſſent voluptuarijs præparata. Qui cum delicati ſint, & pati nihil aſperum poſſint, tantò acerbiùs ſentient æternos cruciatus: *Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit: tantum date illi tormentum & luctum*. Denique toti mundo triſtiſſimum diluuium eſt immiſſum; deleta, præter ſeptem homines, & paucas animantes, omnis caro. Cur, quia *omnis caro corrupe-*

S. Bern. ſerm. 3. in Natiu.

Gen. 34.

Apoc. 18. 7.

Gen. 6. 12.

*rat viam ſuam ſuper terram.* Et, vt alius ait, *viros triumphales, victores gentiũ luxuria vicit.* Ita gladio, incendio, diluuio, alijſque modis ſummus Iudex, libidinem plexit; quæ, ne ſeruet modum, tot habet modos formaſque, vt meritò Eriſichthonis Metro mutabilior poſſit credi, meritoque etiam varijs modis puniatur. Pythagoras dicebat: *in ciuitates primùm irrepſiſſe delicias, mox ſaturitatem, deinde violentiam, poſtremò exitium.*

Macrob. lib. 3. Saturn.

Laërt. l. 7. cap. 1.

Silius lib. 15.

*Aſpice latè*
*Florentes quondam luxus, quas verterit vrbes.*
*Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,*
*Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.*

Valerius Max. l. 9. cap. 1.

Teſtatur id Campana luxuria, quæ *inuictum armis Annibalem illecebris ſuis complexa vincendum Romano militi tradidit. Illa ducem vigilantiſſimum, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vſu laſciuiore, ad ſomnum & delitias euocauit. Quid his ergo vitijs fœdius? quid etiam damnoſius? quibus virtus atteritur, victoriæ languent, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animi & corporis vires expugnantur: adeò vt neſcias*

*nescias, an ab hostibus, an ab illis capi pernitiosius habendum sit.*

Ex his tam varijs grauibusque pœnis ira Dei cognoscitur. Sed & illud docetur, omnes, qui præsunt, perpensa scelerum grauitate ac fæditate, à natura, à Deo, ab hominũ zelosorum exemplis moneri, vt tam abominanda crimina non sinant impunita. Putent parentes domi, putent magistri in scholis, putent Confessarij in suo tribunali, putent Magistratus in curijs, putent Principes in aulis, è cælo ad se clamari, quod ad nauarchum, cum serio, ac iterato dictum est mandato: *Mitte foras Mariam, & bene nauigabis.* Accidunt infortunia, oriuntur tempestates Rerumpublicarũ bellis omnia vastantur, vbiq; luctus, vbiq; dolor, vbique mors aut mortis imago, vbiq; scopuli & pacis ac tranquillitatis impedimentũ: *Mitte foras Mariam, & bene nauigabis.* Res iam nobis prope redijt non tantùm ad triarios, sed etiam ad vltimam penè lineam. *Dixi tibi, mitte foras Mariam, & salui eritis.* Emenda, castiga, extirpa impietatem. Non patereris, in vrbe, si scires adesse proditorem. Id, quod Sichemitas, quod Sodomitas, quod totum, diluuij tempore, prodidit mundum, etiam alias plerasque prodit

XI. LIBIDINEM NIMIS INVALESCENTEM, DEI EXEMPLO PVNIENDAM.

ciuitates. *Omnis caro corrupit viam suam.* Hoc scriptura affirmat. Hoc sermo testatur quotidianus. Hoc experientia probat. Possem adducere & ipsos reos ac reas, qui audent dicere, quod ego, non possum credere, & temerarium esse aio, suspicari, iniquum judicare; deboeq; meritò refutare priùs, quàm ad rem ipsam propiùs venio. Quid ergo dicunt? ita passim libidinem inualuisse, vt ne vna quidē virgo, reperiatur in tota ciuitate. Quod inprimis superat ipsam Lutheri maledicentiam, qui in aliqua ciuitate, vix quinque virgines dixit reperiri. Hi aiunt, nullam. 2. Magnā tot innocentibus irrogant injuriam, magnā illorum parentibus, qui filias suas aliter custodiunt. 3. Qui hoc dicunt, ipsi sunt infames, infames autem, non possunt esse testes. 4. Quia solamen est miseris, non solùm pœnarum, sed & culparū habere socios: putant enim, se numero defendi, atque excusari, si plures sint inhonesti. 5. Deniq; in hos ipsos infamatores calumnia sua redundat. Ideò enim virgines non inueniunt, quia virgines non quærunt, sed meretrices; aut quia ipsi faciunt, vt virgines non possint inueniri. Quæ si tutæ esse volunt, coguntur aliò commigrare, aut & in monasteria se abdere. Quanquam

quam ita infruniti sunt quidam, vt etiam prosequantur & persequantur abeuntes. Lucullum clarissimũ Imperatorem aiunt, amatorio poculo perijsse: hi poculo tali non indigent; pereunt sine veneno volentes, & perniciem suam non fugiunt, sed fugientem quærunt. Plin. l. 25. c. 3.

Ceterùm non est necesse, omnes esse tales, satis est magna nihilominus talium multitudo. 1. Sunt, qui solo visu perdunt castitatem. Omnis, *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Expertus est hoc Dauid, iam oculis mœchatus antè, quàm Bethsabeam ad se vocaret. Experiuntur, qui, quotquot feminas aspiciunt, concupiscunt. 2. Quidam solo auditu rei turpis delectati castitatem perdunt. 3. Bibunt quidam, & ea sumunt, quibus in libidinem incitantur, atque hoc fine alijs anteponunt, jubentque sumere, vt fiant ad peccandum potentes. 4. Inuenti sunt ad hunc effectum & odores, & hoc fine odorifera gestantur, vt alliciant. 5. De tactu erubesco dicere. nam sunt, qui omnibus ianuis voluptatem admittunt. 6. Nec opus est adiumento membrorum; solo animo, vna cogitatione, vna imaginationis delectatione plurimi XII. IMPVRORVM FOEDITAS ET MVLTITVDO. Matth. 5. 28.

rimi cælum vendunt, infernũ emunt. Et possunt, tali cogitatione omnia huius generis peccata comprehendi. 7. Peccatur ratione temporis, loci, modi, obiecti. Quidam dum tota hebdomade laborant, die festo, quem sanctificare deberent, amoribus vacant. Quin eo ipso tempore, quo alij in templis Deum colunt. Tunc absunt, & in templo Deo seruiunt herus & hera, pater & mater, regnat ergo domi filia, vel ancilla. Meminerunt multi adhuc eius puellę, quæ ante non multos annos, hîc capitis supplicium tulit, quia ipso die S. Parasceues, & illâ horâ, qua alij se flagellis castigabant, & expiabant cruentis ictibus, quod peccauerant; alij autem spectatũ & oratũ prodierant, amasium suum citauit, & virginitatẽ suam prodegit. Indignum est, tempus diuinis cultibus attributũ negligere, & ad ipsam transferre obscænitatẽ. 8. Quemadmodum etiam indignum est, locum Deo consecratum libidinibus suis profanare. Mitissimus alioqui Christus, è templo tamen eie-
Ioan. 2. 15. cit ementes & vendentes. Quid faciet, si videat illuc homines ire, vt oculis & nutibus fornicentur, & adulterent? Stare in extremis scamnis, vt proximã habeant è regione allubescentem? Quo pacto illos puniet, qui in

ipsis

ipsis officijs diuinis, sæpius de voluptate carnis, quàm honore Numinis cogitant? qui alia agunt, quæ ne nominare quidẽ fas est? Nonne hæ sunt abominationes, quas præuidet Daniel Propheta? nuncquid hoc est Adonidem adorare? & Cupidinem pro Deo habere? 9. Supra dicta Maria non legitur fornicata; sed nimio coniugij appetitu filios necans, ingenti miraculo fluctibus est hausta. Quid dicam, ô Deus? *omnis caro corrupit viam suam.* Ante hac juuenes & viri sequebantur feminas, & puellas; iam ipsæ puellæ & fæminæ viros sequuntur, mittunt ad illos, vocant, inuitant. Si non parent, vltro ipsæ veniunt, & eos cubiculatim inuisunt, cum illis bibunt, ludunt, fitque, quod Propheta detestatur, vt meretrices desinant esse meretrices, nec enim mercedem accipiunt, sed soluunt. Et quod irâ Dei dignissimum est, à proprijs parentibus ad omnes epulas, choreas, & nocturnos conuentus ducuntur. Patre inebriato, filia est in potestate ebriosorũ. Quin, vt se excusatas putent, aiunt nonnullæ matres, se ali à filiabus dona domum reportantibus, pro quibus honestatem foris reliquerunt. Execranda fuit illa Maria, ob filios à se occisos: an non erunt & istæ execrandæ?

Dan. 9. 27. Matth. 24. 15.

Gen. 6. 12.

crandæ? Inuitus dico, ſed rei iniquitas mihi exprimit veritatem: Tot paſſim in vrbe aliqua committuntur ſcortationes, & tam paucæ ſunt, quæ partu prodant ſuam impuritatem. Vnde hoc? quia artes nôrunt, quia vel occidunt vix natos, & ſine baptiſmo perdunt; vel faciunt, ne naſcantur. Non eſſem tam audax in dicendo, niſi audirem, artificia hæc in laudem trahi, & fieri illicium fornicandi. Milites jam aliquo tempore à cacodæmone opem accipientes, ſchedas, aut pilulas deuorant, quibus fiunt inuulnerabiles, &, vt vocant velut glacie aſtricti ac *indurati*. Hinc audaciores, & arte ſua fidentes, quoſuis in duellum prouocant. Diabolus hanc artem à viris in fæminas propagauit. Nam ecce, quò deueniat noſtra ætas: puellæ ſunt, quæ, hoc ipſo nomine, audent iuuenes prouocare, quod dicant ſe eſſe *induratas*. Quid eſt hoc dicere? niſi quòd nôrint partum impedire aut perdere? & immunes ſint à concipiendo? Hanc artem iactant, hanc ſibi mutuò tradunt, hac ad fornicandum, ſine vllo prolis metu eas alioqui retracturo, animant, & animantur. Quid eſt hoc aliud quàm occidere prolem? immo plus eſt; quia id agunt, vt proles vitam nunquam accipiat, natura reclamante,

clamante, diabolo triumphante? Nam ſicut milites, non niſi tacito, vel expreſſo cacodæmonis pacto fiunt *ſolidi* atque *indurati*, ita credibile eſt, & has Alaſtorem habere adiutorẽ. Quid ergo ampliùs ab illis expectemus, niſi vt veneficæ fiant, aut iam eſſe putentur? Tales artes ad magicas artes vel ducunt, vel ab illis proficiſcuntur. Videat ergo, qui talẽ commercium habet, cuius ſit riualis, & cum quo vices mutet. Habes itaque tempus, loquo vices mutet. Habes itaque tempus, locum, modum, quin & obiectum omnia criminosè inceſtata. Nihil enim purum eſt, vbi eſt impurus homo. Ab hoc autem & matrimonia violantur. Quid tu de illis putas, qui adoleſcenti dant poteſtatem, quoties libet, cum ſua vxore bibendi, ludendi? eique, vt cum quàm diu lubet noctes & dies aſſidendi? quid de eo; qui ipſi vxori licentiam dat abnoctandi, & viciſſim licentiam accipit, ancillam aliamúe illius loco ſubſtituendi? Quid de illis, qui obſeruant militem ad vigilias euntem, vt, eo abſente ipſe poſſit eſſe paterfamilias in domo illius? Quid de eo, qui nullum facit inter ſolutam & liberam, inter cognatam & alienam, inter ſacram & profanam feminam; immo inter hominem & beſtiam; deniq; inter vxorem & dæmonem diſcrimen?

scrimen? An non hæc Sodoma est? an non irâ Dei, an non sulphure & igne piceo digna grauitas iniquitatis? Quid mirum si nauis Petri mergi incipiat? Si ciuitas, si regnum pereat, in quo tantam æternus judex inuenit flagitiorum omnium fœditatem? Laodice Syriæ regina Antiochum *Deum* cognomento, maritum suum veneno extinxit, ob superinductam sibi Ptolomæi sororem Berenicem: cur Deus non extinguat homines, ob superinducta tot Mundo flagitia, qui dicitur, estque justissimus *Zelotes? Dominus Zelotes nomen eius, Deus est æmulator. Hæc dicentibus erubescenda essent,* ait Hugo, *si à facientibus præsumpta non fuissent: nunc autem sustineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere disciplinam.*

Exod. 34. 14. Hug. de instit. nouit.

XIII. LVXVRIAE REMEDIA.

Quid ergo talibus restat? perire, vel pœnitentiam agere, & agere, dum tempus. Confessa est & Maria, sed Nauclero, non Sacerdoti, & serò nimis, nec eo, quo debuit fine ac modo. Si qui aliquo prædictorum scelerum genere se reos deprehendunt, confiteantur sacerdoti; quærant *Dominum, dum inueniri potest.* Si multi sunt innocentes, orent, vt nocentes conuertantur. Denique quisquis conuerti vult, ab illecebris suis se se auertat.

Isa. 55. 6.

Nemo

Nemo ire poteſt in Orientem, niſi recedat ab Occidente. Apoſtoli ſapiens monitio eſt: *Fugite fornicationem.* Iracundia leones adiuuat, pauor ceruos, accipitrem impetus, columbã fuga. Ita alia vitia cadunt, dum eis reſiſtitur, libido fugâ ſuperatur. Et quis non fugeret, ſicut à facie colubri? imò vt à longè maiore malo. Quia, teſte Boëtio, *meretrix nonaria eſt inferni ianua, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, viſcarium ſcelerum, puteus interitus.* Poteſt quidem & hæc vinci reſiſtendo; non rarò tamen etiam incautè reſiſtendo quis contaminatur; quemadmodũ enim qui luctatur cum aduerſario, immundam lutoque plenam habente veſtem, etſi eum deijciat, tamen ipſo eius amplexu contactuque maculatur; ita qui cum vitio hoc pugnat congrediendo, quia immundiſſimum eſt, facillimè ipſa diſputatione, qua repugnat, inquinatur. Quia, vel Ethnico teſte, *blandum eſt malum luxuria, quàm accuſare aliquando facilius eſt, quàm vitare.* Tutius eſt igitur cogitationem eiuſcemodi cum deteſtatione abijcere, quàm retinendo velle examinare, & cum ea litigare. Nemo ſcintillam, ſi in veſtem incidit, multoque minùs, ſi in manum, ſolet non quàm primùm excutere. Cur ignem Cypridis non illico ex-

1. Cor. 6. 18.

Boëtius de ſcholaſtica diſciplina.

Valerius Maxim. lib. 9. c. I.

co extinguis, ô juuenis, quando cogitationem tuam incipit calefacere? mox vret, de scintilla in flammam, de flamma in incendium productus. *Diaboli primis titillationibus obuiandum est,* inquit S. Cyprianus, *nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur.* Et S. Hieronymus, *Diabolus,* ait, *serpens lubricus est, cuius capiti, hoc est, primæ suggestioni si non resistatur, non est dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur.* Itemque alibi: *Nolo sinas cogitationes libidinis crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice; nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam dicentem. Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Christus est.* Ad hanc Petram cogitatus suos allidit, qui se ad spinas, ad flagra, ad clauos, ad crucem, ad vulnera, ad sanguinem Christi cogitandum conuertit. Si oportuit *Christum pati, & ita intrare in gloriam suam,* neque alij illuc intrabunt, nisi *qui carnem*

S. Cyprian. serm. de ieiunio.
S. Hieronym. in c. 9 Eccles.
S. Hieronymy. in ep. ad Eustochium.
Psal. 136. 8.
Luc. 24. 32.
Gal. 5. 24.

*nem suam cum concupiscentijs crucifixerunt.* Stultus censetur, qui aurea æreis commutat: insanus est, qui voluptatem momentaneam sectatur, æterna gaudia perditurus. Nam & Demosthenes, cùm Lais mille denarijs pacisci vellet, dixit: *Non emo pœnitere tanti*: sed quia *stultorum infinitus est numerus*, idcirco plures à cruce Christi ad voluptates, quàm à voluptatibus ad crucem Christi conuertuntur. Quamobrem etiam Arcesilaus Scytha percontanti, *quî fieret, vt ab alijs sectis multi deficerent ad Epicureos, ab Epicureis nulli desciscerent ad alios? Quoniam,* inquiebat, *ex viris Galli fiunt, ex Gallis viri nequaquam.* Sentiens, homines esse proniores ad voluptatem, quàm ad virtutem, per Gallos enim intellexit sacerdotes Cybeles, euiratos. Paruum autem est inter euiratos & effeminatos discrimen: immo detestabilius est animo, quàm corpore emasculari. Quod qui non vult sibi fieri, feminas vitet, & cum feminis *mulierum exitia*, vt in prouerbio est, vitabit, quæ omnium ferè calamitatum authores viris fuisse dicuntur. Testis est Pandora Hesiodia; testis Helena & bellum Troianum; testis Medea; testis Ariadna; testis Hercules, à Deianira extinctus; testis Danaidum fabula; testis Lemniarum

Laërt. de vit. & morib. Phil. Eccle. 7 13. Idem Laërt. lib. 4 cap. 6.

niarum mulierum hiſtoria; teſtis Cleopatra; teſtis Dina; teſtis Bethſabea; teſtes omnes illæ feminæ, quæ cor ſapientiſſimi Salomonis deprauarunt; teſtis Dalila quæ Samſonem fortiſſimum ligauit; teſtis ipſa omnium mater Eua. Quanquam hæc ipſa etiam conuenit ſtultitiæ virorum aſcribere, qui mulierculis tantùm indulſerunt, vt velut amentes amore in quoduis malum ſequerentur, cùm par fuerit, vt illis moderantibus mulier natura ſtultior ſimul & imbecillior minùs deſiperet. Quod enim animus eſt corpori, id virum mulieri oportet eſſe: qui ſi mulieroſus eſt, improbus eſt, quia *occaſione duntaxat opus eſt improbitati.*

CAPVT

# CAPVT IV.

## INVIDIÆ ET ÆMVLATIONIS CRIMEN QVOVSQVE SE EXTENDAT? IN REGIS FILIO PARRICIDA DEMONSTRATVR.



*Alius alium per inuidiam occidit. Sapi. 14. 24.* W.K.f.

## PARS PRIMA.

IN fabulis est, Iouem aliquando, cùm diuersos vellet hominum sensus explorare, moresque illis suos ostendere, misisse Apollinem in terras, vt voluntates humanas experiendo cognosceret. I. INVIDI ET AVARI APOLOGVS.

In terras delatus Apollo primùm incidit in duos vnà ſtantes, iiſdem quidem vtrumq; vitijs affinem, ſed in vno *Auaritia*, in altero *Inuidia* magis dominabatur. Hos comiter allocutus Apollo, eorumque morbos è votis & ſermonibus tanquam in trutina deprehendens, copiam illis fecit liberè petendi, quod vellent; promiſſione addita, id quod vterque petijſſet, ratum ſe habiturum, ea tamen conditione ac lege, vt, quod ſibi vnus petijſſet, alteri duplum præſtaretur. Ibi inter vtrumque magna orta eſt contentio, vter petitionem faceret. Nolebat petere *Inuidus*, ne alter plus obtineret; nolebat *Auarus*, vt ipſi duplum obtingeret. diu ea lis tenuit; diu contentioſum inter ſeſe funem traxerunt. Denique pertinacior fuit *Auarus*, malitioſior *Inuidus*: nam quia nullo pacto induci potuit *Auarus*, quidquam ſibi vt peteret ne minus peteret; *Inuidus*, ne alteri plus concederet, vnum erui ſibi radicitus oculum petijt, vt auarus ambos amitteret. Ita & ipſe malum ſibi creauit, & alterum damno multauit geminato.

II. HISTORIAE AVTHOR. Ne quis hanc fabulam, ſupra verum, conſictam eſſe exiſtimet, hodie hiſtoriam dabo longè truculentiorem. Et hiſtoriam de mirabiliori-

biliorıbus vnam, ſatiſque teſtatam. Auctor enim illius eſt oculatus teſtis Ludouicus Romanus in libro Hodœporico de Perſia cap. 2. & 3. qui iter ſuum inijt An. Chriſti 1503. vt ipſe indicat, lib. 1. de Arabia c. 1. in patriã redijt An. 1509. vt videre eſt in lib. 3. c. 42. & 44. Ob res in India bene geſtas, equeſtri eſt dignitate ornatus. vt ſcribit lib. 3. de India, c. 41. Editus eſt autem liber iſte Hodœporicus Auguſtæ Anno M. D. XVIII. Hic igitur Author, lib. de Perſia cap. 2. deſcribit inſignem eius regionis ciuitatem *Ormus* dictam, quæ magnitudine ambitus, multitudine populi, opum affluentia, pretioſa illa margaritarum piſcatione nobiliſſima eſt; in portu eius ſemper trecentæ & ampliùs variorum mercatorum naues reperiuntur, quæ illuc è varijs regnis appellunt. Soldanus autem huius vrbis & inſulæ eſt Machometanus.

III. SOLDANI FELICITAS, ET INFELICITAS A FILIIS.

Poſtquam locum deſcripſit Ludouicus iſte Romanus, cap. 3. teſtatur, talem, ſe inibi locorum verſante, & magnam partem ſpectante, tragœdiam incidiſſe. Soldanus multis titulis felix, valetudine admodum bona, viribus Hercules, diuitijs Crœſus, delitijs Sardanapalus poterat haberi; veſtitu autem gemmatus pauo, Acceſſit ſuper omnia vxor fœcunda;

da; liberi vndecim, *ſpes tanta nepotum;* & erant maſculi omnes. Sed, vt nihil, in terris, omni parte beatum eſt, ita filius natu minimus illi ſpina fuit. Tanta enim videbatur eſſe ſimplicitate, vt ab omnibus paſſim pro fatuo haberetur. Hunc pater non dignabatur aſpicere; hunc mater nouercali odio perſequebatur; hunc fratres vbique ludos faciebant; hunc ipſi vernæ deſpectui habebant. Quanquam ignarus pater, aliunde ſibi impendens multò maius malum cauere debuiſſet. Siquidem filius natu maximus, tanquã paternæ dignitatis hæres & ſucceſſor, in delicijs parentum fuit, ſed in odio populi ac totius ciuitatis. Quantò enim maiore indulgentia fuit educatus, tantò in vitia pronior euaſit. Nemo illum offendere, nemo audebat admonere, qui parentum gratiam perdere non voluiſſet. Qualem ergo volebant, habuêre; voluptatibus deditum; crudelem, ſuperbum, ambitioſum; qui denique, poſtquam omnes premere aſſueuit, ſupra ſe nullũ voluit pati, ne & ipſe premeretur. Nimirum *nulla ingenia tam prona ad inuidiam ſunt, quam eorum, qui genus ac fortunas ſuas animis non æquant: quia virtutem ac aliorum bonum oderunt.* Quod odium in hoc etiam iuuene gliſcebat,

Tit. Liu. dec. 4. l. 5.

scebat, in quo sanguis, non animus regius erat. Hi mores id illi nomen fecêre, vt vulgò *catenatus diabolus* diceretur. *Diabolum* enim esse, de nequitijs censebant, sed *catenatũ*, quia ei deerat suprema potestas, qua sola ligabatur, ne omnia auderet.

IV. INVIDIA SVPERBIAE COMES.

Quis superbum vidit, qui non esset ambitiosus? quis ambitiosum nouit, quem inuidia non comitaretur? quæ cùm nihil aliud sit, quàm *tristitia de bono alterius, aut odium alienæ felicitatis, in quantum æstimatur diminuere gloriam propriam*, in superbo maximè ac ambitioso huius tristitiæ odijque caussam est inuenire. *Quoniam superbiæ comes est inuidentia*, ait S. Augustinus, *fieri non potest, vt superbus non inuideat*. Immò S. Gregorius affirmat, inuidiam semper solere nasci ex superbia. Superbus ergo inuidet inferioribus, ne sibi æquentur; paribus, quia æquantur; superioribus, quia eis non æquatur. Sic, apud Lucanum, *Nec quenquam iam ferre potest, Cæsarue priorem, Pompeiusue parem*. Nemo ergo securus est à superba inuidia, aut inuida superbia, neque subditi, neque æquales, neque maiores. Sic Dauidi Saul, Abeli Cain, Iosepho vndecim fratres, Liæ Rachel, & alij alijs inuiderunt; qui aut maiores erant, aut pares.

S. Augustin l. 11. de Genes. ad t. c. 14.
D. Thom. 2. 2. q. 36. a. 1.
S. August. in Psalm. 58.
S. Greg. l. 18. Mor. c. 20. & 31. c. 31.
Lucan. lib. 1.
S Chrys. hom. 44. ad pop. & 41. in Matth.

Minori autem proprium eſt, inuidia tentari; quia hoc ipſo, qui ſe minorem videt, in altero aliquid videt, quod excellit & ob quod dolet, ſe eſſe minorem. Vnde in Iob legimus: *Paruulum occidit inuidia.* Paruulum enim ſe ipſum iudicat, qui dolet alterum eſſe maiorẽ, quia ei non æquatur; vel parem, quia ſibi æquatur: immo & *paruulus* eſt, quia timet inferiorem, ne ſibi æquetur. Denique vt Comicus ait: *Eſt miſerorum, vt maleuolentes ſint, & inuideant bonis,* & ab omnibus metuant. Hinc & *catenatus* ille *diabolus* ſibi, contra ſubiectos, prouidendum, & contra tot fratres munimen quærendum ratus, ne vel illi creſcerent, vel iſti maiores fierent, tandem etiã de catena, qua erat ligatus, rumpenda atq; excutienda cogitauit. Regis ſum filius, inquiebat; nihil eſt: qui patrem habet, ſub poteſtate eſt. Plus eſt eſſe regem. Qui rex eſt, neminem timet. Qui regem habet, non habet plenè, quidquid habet. Bonum maius, impedimentum eſt boni minoris: & minuit deſideria mea, quidquid illius auget vota. Ergo malum eſt mihi, quod illi bonum eſt. Illius dominium, mea ſeruitus eſt; illius gloria, mea ignominia. Quòd non excellam, facit, quia habeo ſupra me excellentiorem.

Iob. 5. 2.

Vnum arbustum haud alit duos Erithacos. Quid multum disputo mecum? tam diu infelix ero, quàm diu parens meus sua fruetur felicitate. Illum si tollo, mea facio omnia, transeunt ad me opes, transit gloria, transit potestas & sceptrum. Denique meus sum, quidquid volo, ago. Sed nec dum omnino meus, metuenda est mater; fratres timendi. Aut nihil audendum, aut omnia. Ita est, vt S. Cyprianus dixit: *Inuidia radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum.* Et vitia magna, vt magni domini, magnū secum trahunt comitatum. S. Cyprian. serm. de liuore.

V. INVIDIA QVANTM MALVM?

Tantò autem inuidia periculosius est malum, quantò subtilius & occultius, ac virtuti similius. Idcirco enim illud quidam non æstimant, neque vitant, neque confitentur: vel quia sciunt, aliquando prudenter timeri, adeoque & doleri, de bono alterius, in quantum ex eo timetur nocumentum, vel sibi, vel alijs: vt cum dolemus de victoria hostis, qui dolor non est inuidia: *inuidentia* enim vt & Cicero ait: *est ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant inuidenti. Nam si quis doleat eius rebus secundis, à quo ipse lædatur non rectè dicitur inuidere: vt si Hectori Agamemnon*, vel quando tristamur de bono S. Greg. l. 22. Cic. li. 4. Tuscul.

 alterius,

alterius, ex eo, quod nobis deest bonum id, quod alius habet; & hoc est propriè zelus, qui, si versetur circa honesta, est laudabilis: vnde & Apostolus ait: *Æmulamini charismata meliora.* Laus enim est, non vitium, si quis dicat & optet, conspecta alterius virtute, se dolere, quòd non sit tam bonus, quàm alter, atq; sibi alterius probitatem, mansuetudinem, quin & sanitatem aliaué subinde bona temporalia cupiat. Quod cum peccato & sine peccato potest peti. Quòd si verò quis doleat de bono alterius, in quantum is eum excedit in bonis, is propriè inuidus est, quia *alterius rebus marcescit opimis*: quo pacto etiam hostibus victoriam possumus inuidere. Sic peccatur ab inuido; &, quando adest consensus rationis, ex genere suo, semper peccatur mortaliter, quia dolor est de eo, de quo est gaudendum; & peccatur contra charitatem. Ex quo peccato, vt S. Gregorius docet, nascitur susurratio, quando quis occultè quærit minuere gloriam alterius; detractio, quando quis apertè ac palam alterius honorem accîdit: in aduersis aliorum rebus exultatio: in prosperis afflictio: tandem & odium, quando quis non solùm tristatur de superexcellentia alterius, sed vlterius

Arist. l. 2. Rhet.
2. Cor. 12. 31.
S. Thom. 2. 2. q. 36. a. 3.
Horat. 1. ep. ad Lol.
S. Greg. l. 31. mor. c. 31.

riùs

riùs vult illi malum. Et quantum malum? ipsam deniq; mortem. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Quid clarius? *Alius alium per inuidiam occidit.* Et cui parceret, si filius non parcit parenti? si, vt S. Chrysostomus ait, *inuidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem ac dæmonem immanissimum conuertit?* Cuius exemplum vide, in hoc filio regis, qui non tantùm *diabolus*, sed iure etiam *catenatus diabolus* est appellatus, ita quandam velut catenam contexuit nefandorum flagitiorum.

Sap. 2. 24.

Sap. 14. 24.

S. Chrys. hom. 41. in Matth.

VI. PARRICIDALE FACINVS INVIDIAE.

Quia enim hoc vnum illi ad malitiæ plenitudinem deerat, vt, qui scelere esset summus, summus etiam fieret potestate, eò vsque intemperijs est agitatus, vt de patre necando consilium caperet, cum regia potestate impunitatem comparaturus omnia, quæ animus vellet, perpetrandi. Cùm autem metuendi illi essent ceteri fratres, cædem vtiq; paternam vlturi, statuit, vna strage, & patrem & metum tollere. Audite hîc liuoris inauditam crudelitatem, & magnitudinem sceleris agnoscite. Captata noctis, somnique dormientium occasione, stricto pugione, per cubilia, immo & lectos singulorum obijt, &,

parricidali impietate, patri primùm, mox & matri, nouem deinde ceteris fratribus oculos effodit, vt videre non possent cladem secuturam. Solum decimum è fratribus, natu minimum stoliditatis opinio ab hac immanitate exemit. Quis hîc non videat, fabulam initio à me recitatam, in historiam transijsse, & inuidum progredi, vsque ad oculos alijs eradicandos? Sed nondum est finis. Viginti duos oculos, in vna patina cruentatos, & oculos suorum, siccis ipse, immo gaudentibus oculis aspexit. Non illum patris maiestas, non matris amor, non fratrum dulcis consuetudo mouit. Adeò saxeus fuit, vt neque miserabili aspectu tot calamitosorum perculleretur. Ita crudelissimè excæcatos, & orbitatem, quam lachrymis deplorare non poterant, eiulabili questu lamentantes, in vnum conclaue conduxit, &, subdito igne, viuos concremauit. Tanta est libido regnandi, tantus inuidiæ furor, tanta amentia liuoris, sua commoda, per aliena damna promouentis.

VII. QVAM DEPLORANDVM INVIDIAE MALVM!

Ad tam barbarum facinus, quasi excusso veterno, & stupore abiecto, frater minimus, solus adhuc superstes, è regia prosiliens, & per publicas vndique plateas circumcursans, ac demum

demum ad aſylum fani confugiens altiſſima contentiſſimaque voce clamauit: *Iuialla: ô Deus, quàm impius eſt frater meus! qui, cruenta manu, ſceptrum inuaſit, regnumq́ violenta ſucceſſione iniuſtus hæres, nefarius ſucceſſor occupauit.* Hæc vociferatio non tantùm Armutianorum aures, ſed etiam nubes ipſas peruaſit. Et cur non? Si enim ad Cain, qui vnicum fratrem occidit, Dominus dixit: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* Gen. 4. 10. quid putemus, ad tot fratrum, ad matris & patris interemtorem dici debuiſſe? Nec dubito, nullum eſſe, qui, hæc à me dum audit narrari, non quàm vehementiſſimè indignetur. Rectè quidem, ſed fruſtra parricidæ huic indignamini, quia ille pœnam ſuam non effugit, vt poſtea intelligetis. Si vtiliter vultis indignari, ipſi inuidiæ indignamini: hæc deteſtatione, hæc omni execratione & fuga eſt digna, quæ tantorum malorum eſt mater, tantaque ſemper, in orbem terrarum, mala inuexit; cumq́; plurimos quotidie in inferos mittat, tamen à pauciſſimis agnoſcitur, à pauciſſimis pœnitentia deletur. Operæ igitur pretium, immo neceſſarium eſt, digito demonſtrare, qui, & quàm multi hoc vitio laborent.

Atque

VIII. Invidorvm exempla e scriptvra. S. Cyprian. serm. de zelo & liuore. Atque inprimis S. Cyprianum audiamus, cuius hæc sunt: *Quale malum est, quo Angelus cecidit; quo circumueniri & subuerti alta illa, & præclara sublimitas potuit; quo deceptus est, qui decipit? Exinde inuidia grassatur in terris, sicut scriptum est: Inuidia Zabuli mors introiuit in orbem terrarum; imitantur ergo illum, qui sunt ex parte eius. Hinc nouæ fraternitatis odia, dum Abel iustum Cain zelat iniustus, dum bonũ malus inuidia & liuore persequitur. Iniustè oppressus est, qui iustitiam primus ostenderat: occisus est impiè, qui moriens non repugnabat. Et quòd Esau fratri suo Iacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium persecutionis facibus liuoris exarsit. Et quòd Ioseph fratres sui vendiderunt, caussa vendendi de æmulatione descendit, postquã id, quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter, vt frater fratribus exposuit, in inuidiã maleuolus animus erupit. Saul quoq; Rex vt Dauid odisset, vt persecutionibus sæpè repetitis innocentem, misericordem, mitem, lenitate patientẽ necare cuperet, quid aliud quã Zeli stimulus prouocauit? quia, Goliath interfecto, & opere ac dignatione diuina tanto hoste deleto, populus admirans in laudes Dauid prædicationis suffragio prosilijt. Saul simultatis atq; insectatio-*

*sectationis furias de liuore concipit. Et ne longum faciã, pereuntis simul populi attendamus interitum. Iudæi nonne inde perierunt, dum Christo malunt inuidere, quàm credere? obtrectantes magnalibus, quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti sunt, nec ad diuina noscenda cordis oculos aperire potuerunt. Quæ nos considerantes, fratres charissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter & fortiter dicata Deo & vegetata pectora nostra muniamus. Aliorum mors proficiat, ad nostram salutem: imprudentium pœna prouidentibus conferat sanitatem.* Sed fortasse erunt, qui à se procul hoc vitium exulare arbitrentur; neque existiment, his tam calamitosis temporibus, inuidiæ locum esse. Siquidem miseris nemo inuidet. Quis igitur inuideat, si non est cui inuideatur? Vt enim videt *ingratos intabescitq́, videndo, Successus hominum;*

*Vixq́, tenet lachrymas, quia nil lachrymabile cernit* Ouid l.2. Metam, fab. 15.

inuidia; sic vicissim pabulum non habet, vbi nihil videt, nisi meras calamitates. Posset igitur aliquis existimare, malam hanc herbam, succisa radice, non pullulare. Vtinam ita esset! haberemus saltem hunc è miserijs nostris fructum, quòd tam detestabili vitio careremus.

Vtinam

IX. INVIDORVM FREQVENTIA ET MVLTITVDO.

Vtinam non & nunc essent vbique tales, qui teterrima Hebræorum imitatione, non iam Soldanum, sed cœlestem Patrem, & Christum Seruatorem nostrum, vitæ authorem ex inuidia occidere conarentur! De Christo testis est ipse hostis Christi & iniquus judex Pilatus: *sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum.* De alijs testis est ipse Christus, qui ait: *quàm diu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quod tam in bonum, quàm in malum intelligi potest, quando & alibi dicit: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Itaque quisquis sanguine Christi redemtum tangit, tangit Christum. Et qui tabescit cùm alios viderit se præclarè gerentes, & Ecclesiam verbo, vel alio quopiam modo adiuuare, *non iam fratri, sed & Dei talis repugnat voluntati*, ait S. Chrysostomus; vbi & subiungit: *Quid igitur doles, quod Deus glorificatur? vide, quò tendat impugnatio. Non, quòd Deus, inquies, sed quòd frater glorificatur. At per eum ad Deum gloria redundat; igitur & impugnatio tua? Verùm hoc, dices, non me contristat, sed per me vellem ipse Deum glorificari. Et sic Deus per te glorificabitur, & omnes dicent: Benedictus Deus, qui tales seruos habet ab omni liberatos inuidia, mutuis gaudentes bonis. Et quid*

Matth. 27. 18. Marc. 15. 10. Matth. 25. 40. Zach. 2. 8. S. Chrys. hom. 43. ad pop.

*quid dico fratrem, si hostis ille inimicus esset, si tamen per hunc Deus glorificaretur, amicum fieri propter hoc, oporteret; tu verò amicum facis inimicum, quia propter illius prosperitatem Deus glorificatur.* Inuidia autem, vt per omne hominum genus vagatur, ita omne hominum genus tangit, & lædit. *Plerique sunt inuidi,* ait Cicero, *maximeq́ue est hoc commune vitium & peruagatum. Licet inuenire regionem, vbi venena non sint, quemadmodum affirmant de Creta: at non licet inuenire Rempub. quæ non alat inuidiam contentionemq́ue,* ait Plutarchus. Itaque 1. *similis,* teste Philosopho, *inuidet simili; in hoc, quod similis vnum excedit alium: vnde vulgus odit vulgum, & figulus figulum.* 2. *Iter facientes per solem necessariò comitatur vmbra; incedentes verò per gloriam, comes inuidia,* vt scripsit Plato. Summos ergo & imos vexat inuidia. 3. Eamus ad aulas, ibi sedes est inuidiæ. Audiuimus exemplum occidentis fratres & parentes, vt ipse emineret, sed longè maius in Euangelio legimus. Nam quando, *Magi ab oriente venerunt Ierosolymã, dicentes: Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum; audiens Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo;* metuensque

Cic. lib. 2. de orat.

Aristot. l. 2. Rhetor.

Plato in Timæo.

Matth. 2. 1.

que ſceptro ſuo, *occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra.* Quanta hæc ſtrages? inuidia fecit. Rarum eſt hoc exemplum, ais. immo frequentiſſimum. In bellis quot, non puerorum, ſed virorum millia occiduntur? quid fecerunt? quo genere delicti meruerunt mori? an quia fortes ſunt? quia ſanguinem fundere parati, ideò morte digni? nequaquam. Sed quia Reges ipſi Principeſque potentiæ inuidiâ bella excitant. Nam, vt Democritus dixit, *Inuidia ſeditionis parit initium.* Ne alter creſcat, ne emineat, armis frangendus cenſetur. *Graue quid inuidia,* ait S. Chryſoſtomus, *graue & ſimulatione plenum. Hoc mundum innumeris repleuit malis. Ex hoc morbo litibus plena ſunt tribunalia, ex hoc pecuniarum amor, ambitio, & inanis gloria. Hinc vrbes obſidentur, & mare piratas habet. Hinc per orbem cædes. Hinc genus noſtrum dißipatum eſt. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur. Iam enim & in Eccleſias debacchata eſt, & priùs innumera patrauit mala. Hoc auaritiam parit, vitium omnia confundens, & iuſtitiæ corrumpens.* 4. Quod ſi regibus, ſi principibus ipſis hoc vitium eſt infeſtum, quid inter ipſos aulicos turbarum non excitabit?

S. Chryſ. hom. 44. ad pop. Antioch.

tabit? Tacitum, Suetonium, Dionem Casſium, Lampridium, Nicetam Acominatum Choniatam, & Politicos ſi legamus, ô quid non inueniemus? Ibi quiſquis in gratia eſt Principis, in odio eſt plebis. Quem nemo timet, niſi qui & inuidet. Alterum premere, putant eſſe emergere. Et premi ſe putant, quicunque alium vident tolli. Sic oppugnauerunt Periclem Simmias, Alcmæon Themiſtoclem; Pompeium Clodius; Epaminondam Meneclides: non aulici quidem, ſed in Republica primũ locum tenentes, & more aulicorum. 5. Quid quòd & conſilia *malus conſiliarius omnia depranat aſsidens,* vti & *inuidia vbique nulla magis damnat, quàm quæ ſunt optimè dicta?* 6. C. Caligula inuidiâ motus, Torquato torquem, Cincinnato crinem, & Cn. Pompeio ſtirpis antiquæ *Magni* cognomentum abſtulit. quin omnes pulchros & comatos, ſi quos obuios haberet, occipitio raſo, eos præ liuore deturpabat. Maius hoc vitio malum quod eſſe poteſt? huic dedecus eſt, aliorum honor; triſtitiam facit aliorum lætitia; vt verè exclames:

Plutarch. in præceptis Politicis.

Sueton. in Calig.

*O miſerum! cuius dolor eſt aliena voluptas.*

7. Sed militia præcipuè hoc morbo eſt vitioſa. *Hinc Saul, poſtquam vidit Dauidem multa laude*

S. Chryſ. hom. 35. ad pop.

*laude fruentem*, ait aureum illud os, *& mulieres in choro clamantes: Saul percuſsit mille, & Dauid decem millia; non æquè ferens de ipſo dicta, licet ſecundùm iuſti rationem, benefactorē, tanquam hoſtem reſpiciebat.* Quem, cum Ziphæi nunciarent, vbi latitaret, & promitterent, ſe illum in manus eius tradituros, *Benedicti*, aiebat, *vos à Domino, quia doluiſtis vicem meam.* Quibus verbis vtique prodebat animi ſui ægritudinem, & rabiem, tormentumque, quo Siculi tyranni maius non inuenerunt. Ita *Perdiccam oderat Alexander, quòd eſſet bellicoſus: Lyſimachum, quòd imperatoriæ artis peritus; Seleucum, quòd forti animo eſſet. Antigoni verò liberalitas eum offendebat, & Attali imperatoria dignitas, & Ptolemæi proſperitas.* Apud Herodotum, Græcorum duces, ad Salaminē, re bene geſta, quamuis conſilio Themiſtoclis omnia geſta eſſent, eius tamen gloriæ inuidentes, ne ſecundas quidem rei bene geſtæ partes tribuere voluerunt. Apud Diodorum, Agathocles Syracuſiorum tyrannus Gelonis regis ſepulchrū, quod ei ob res præclarè geſtas populus extruxerat, diruit. Non opus eſt antiquis exemplis. Noſtrum ſeculum ſatis docet, quantum vnus alteri miles, & dux de nomine ac gloria fortitudinis decerpat.

1. Reg. 23. 21.

Ælian. l. 12. var. hiſt. c. 16.

Diodor. l. 11.

cerpat. Pudet dicere, esse, qui potiùs hosti victoriam relinquant, quàm vt æmulum adiuuent, in hoste debellando. Itaque quando de summa rei agitur; quando toti exercitus versantur in periculo, diuertunt, eumque, qui certâ in manu victoriam habuisset, si succursus non defuisset, sub cultro, certè sub gladio, relinquunt. Quot, in tali negotio, homicidia, per inuidiam perpetrantur? Et vulgaris quoque miles, socium iugulat, ne præda careat, qua illum videt exultare. Nimirum, *vbi zelus, & contentio, ibi inconstantia, &* Iac. 3. 16.
*omne opus prauum.* 8. Ab aulis & militia ad vulgus veniamus. Ibi non tantùm *figulus figulo, & faber fabro inuidet,* sed ferè quiuis in vna arte, aut opificio, alterius lucrum suum esse damnum interpretatur. Hinc opera eius vituperat, sua laudat; sæpe etiam fraude vel arte mala alium impedit; non rarò etiam excantat, aut fascinat. *Contemplatus sum omnes* Eccl. 4. 4.
*labores hominum & industrias, animaduerti patere inuidiæ proximi.* 9. Notum est, quid nonnulli possint venatores, aut iaculatores, qui si tuam fistulam æneam, tuum arcum, tuam sagittam in manus acquirant, vtique facient te à fera, vel scopo semper aberrare. 10. Equum habes vegetum, cursu vis con-

tendere, omni vigilantia tibi cauendum eſt, ne æmulus tuus tibi eum claudum reddat & macilentum. Idem contingit in vacca, in ouibus, in cane pulchro; non quia nocent, ſed quia excellunt, deſtruuntur. Quod inuidia facit, qua quis propriè triſtatur de bono alterius, à quo eo ipſo exceditur bono; hinc, ne excedatur, contaminare illud nititur, & ſi perire videt, lætatur: quia huius vitij proprium eſt:

Stat. 2. Thebaid. *Inſultare malis rebusq; ægreſcere lætis.*

11. Caupo es, & hoſpitum gaudes frequentia? aiunt æmuli tui, non venire ad te hoſpites, propter tuum vinum, ſed propter tuam vxorem, aut filiam, aut ancillam. 12. Cereuiſiam coquis optimam, panem pinſis ſapidiſſimum; fullo es; & pulcherrimè tingis pannos; erunt, qui aliquid in domo tua defodiant, vt eádem materia, ijſdem que inſtrumentis & coloribus, nihil ampliùs boni conficere poſſis. 13. Accede ad ſutorem, ad ſartorem, ad ſcriniarium, ad quemcunq; opificem, puta valde bonum, ſi audieris eum alios eiuſdem tribus laudantem; ſi non tarditatem, ſi non laborem, ſi non exceſſum in pretio accuſârit. 14. Quod videre eſt ſæpe etiam in circumforaneis, qui in nundinis, publicas

publicas cient conciones, in quibus suas pyxides laudant, eius autem, qui in proximo vendit foro, de impostura vituperant. 15. Raró quoq; inter vicinos non est æmulatio, cùm ad alteram ne musca quidem diuertat; dicitur itaq; vicino facere habitationem inquietam; dicitur ostium esse tumultuosum; dicitur cum strepitu claudi: iam clamoribus aiunt se turbari: iam inspici in suas ædes; iam è puteo aquas exhauriri: iam hoc, iam aliud inueniunt, quod carpant. 16. Nec domorũ tantùm, sed agrorum quoque vicinia incendit ad inuidiam colonos. Nam

*Fertilior seges est alienis semper in agris,*
*Vicinumq́; pecus grandius vber habet.*

Ouid. l.1. de Art.

Nempe, quia *Aliena nobis, nostra plus alijs placent.* 17. Vsque adeò, vt hoc etiam in ipsis coniugibus contingat. Ita enim Lugduni, paucos ante annos, accidit, vt honestæ matronæ nobilisq́ue coniux, ab alia nobili quidem, sed inhonesta flagitiosè ambiretur: cumq́ue ille summa pace, multis iam annis in concordi coniugio vixisset; ista legitimis castisq́ue inuidens amoribus, vt vnanimes dissueret, vxoris castissimæ fidem, apud maritũ eius in suspicionem, tam verosimilibus vocauit

Vallad. conc. fer. 2. Dom. Passionis, &, post eum Philipp. Doulterman in pædag. Christian. p. 1. c. 7, §. 5.

uit indicijs, vt innocens domo eiecta, & miseris modis à viro tractata, non ante in gratiã ac domum redierit, quàm multis post annis, tanti mali incentrix, iusto Dei iudicio, grauissimo & Medicis omnibus incognito afflicta morbo, cui nulla vspiam inueniretur medicina, ne morte quidem (mori enim non poterat, vt diu ægrotans cruciaretur) memor, quantam perniciem quietissimo & sanctissimo coniugio attulisset, à conuocatis coniugibus veniam rogauit, fassa palam, abs se, per summam calumniam, inuidiamque, conficta esse ea omnia, quibus sanctum inter illos casti thori amorem, impiè distraxisset. Quibus dictis, animam efflauit, Proserpinæ fortasse marito in thalamum venturam. 18. Quid, quòd inter senes & iuuenes liuor se interponit? quippe *edentulus vescentium dentibus inuidet*: & adolescens sibi ambit senum pulmenta. *Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.* Inter filios & parentes, inter fratres & sorores, inter seruos & ancillas hæc pestis grassatur. Quoties enim pater sua absumit, ne filio relinquat? quoties filij parentibus longam inuident vitam, vt hæreditate citò potiantur? aut libertate? quoties sorores queruntur, fratribus plus dari, quàm sibi

sibi? quoties frater fratrem odit, quòd nimiũ comedat, quòd pulchriùs vestiatur? quòd sit albæ gallinæ filius? quòd nimium peculij, in studijs, consumat? Quoties ancilla videns coquam dominæ esse valde charam, cibos, malitiosè destruit, & coqua paulum è culina digrediente, iniecta salis immani copia offam perdit; aut pulmentum, vel carnes, aggesto nimio adurit igne? vt oleant, & desipiant? De seruis constat, quid accusationum machinentur, vt æmulo fauorem heri interrumpant. 19. Quid ibo per singulos? mendicus, cùm ante ianuam diuitis mendicum videt expectantem, liuore tangitur, & sibi existimat subduci, quod alteri videt porrigi. Nec rarò de illo querelas obijcit, quibus vult stipem illius interuertere. 20. A mendico si ad medicum veniamus, potest sæpe liuor causſa esse, vt ægrotum non adeat, sed mori sinat medicus, quia non dignatur ad eum accedere, à quo iam alium medicum fuisse consultum intellexit; censet ergo arti suæ derogari, si soli non credatur. Et aiunt, nonnunquam accidisse, vt, ad infamiam alteri conciliandam, morbus inconueniente pharmaco, de industria augeretur. O liuide, quid agis,? si, cùm poteras, non iuuisti, occidisti.

 cidisti.

cidisti. Vide ergo, quo pacto famæ tuæ consulas, ex medico factus homicida. 21. Quod tantò truculentius est, si fiat etiam à medicis animarum, à Parochis, aut alijs Confessarijs, qui audent etiam cùm morte luctantes deserere, ac, sine confessione audita, è vita dimittere eos, à quibus se desertos meminerunt. Nempe alij semel iterumque confessum esse, adeò eos vrit, vt nihil, vel totum soli imperium in conscientias velint obtinere. 22. Quò denique inuidia non penetrat, si non tantùm Aristotelem contra Platonem; sed Confessarium contra Confessarium, Doctorē contra Doctorem, Concionatorem contra Concionatorem, Lectorem contra Lectorē; subditum contra Superiorem; vnam integram religionem contra alteram religionem irritat? *Vt doceamur, in sanctos quoque cadere posse inuidias*, ait S. Hieronymus, *& soli Deo puram clementiam derelinqui, filiorum Zebedæi consideremus exemplum, pro quibus, cùm mater mota pietatis affectu nimis grandia postulasset, reliqui decem discipuli indignati sunt. Et IESVS aduocans eos dixit: Quicunque inter vos voluerit esse primus, sit vester seruus: quoniam filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Si inter Christi Apostolos inuidia esse potuit, cur

S. Hieronym. ep. 146. ad Damasum.

cur non esse posset etiam inter religiosos? *Creta*, ait post supra citatum Plutarchum, *quidam, nullum habet venenum, præter phalangium, id est, aranei genus: ita non est monasterium tam sanctum, quod immune sit, ab obtrectationis, & inuidentiæ malo.* Quibus dici meritò potest: *Cùm sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Quod etiam notat totas Congregationes, ac Sodalitates sacras, quæ *inuicem prouocantes, inuicem inuidentes*, inanis potiùs, quàm diuinæ gloriæ cupidæ esse arguuntur: sicut & totæ nationes, inter quas, velut hæreditarius liuor gliscit: ad quas quotidie clamat Apostolus: *Cùm sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?*

1. Cor. 3. 3.

Rom. 13. 13.

X. INVIDIAE MALIGNITAS.

Immo ambulatis in æternam damnationem. Grauissimum enim crimen est istud. *Inuidia & fornicatione, & adulterio peior est*, ait S. Chrysostomus, *luxuria enim in operato tantùm sistit, inuidia verò totam subuertit Ecclesiã, & toti nocet terrarum orbi: hæc homicidij mater est; ista fratrem Cain occidit: istâ Esau Iacob insecutus est, istâ fratres Ioseph; istâ diabolus cunctos homines perire curat.* Sed primò omnium ipsum inuidentem. *Sicut enim viperas dicunt*

S. Chrys. hom. 44. ad pop.

S. Basil. hom. 11. *abrupto ventre matris, naſci,* ait S. Baſilius, *ſic inuidia concipientem ſe animam corrodit, & tabefacit: ſuppliciumq́ ſuum eſt*, vt loquitur Poëta. Ex alijs vitijs aliqua ſaltem voluptas capitur, liuor eſt triſtitia de bono alterius, & ſine delectatione, niſi quòd, ſicut alij bonis proximi gaudent, malis ingemiſcunt; ita vice verſa liuidus è fratris ſui commodis dolorem concipit; è damnis delectationem. Ouid. l. 2. Metam. *Riſus abeſt, niſi quem viſi mouere dolores. Sicut enim vultures*, teſte S. Auguſtino, S. Auguſtin. ſer. 83. de temp. *pratis amœnis & odoratis deſertis, ad tabida & fæculenta loca feruntur; muſcæ quoque, præteritis ſalubribus membris ad vlcera properant; ſic inuidi neglecto vitæ ſplendore, & rebus magnificè geſtis, errata tantùm obſeruant, & diuulgant;* vt diminuant gloriam eius, cui inuident. Quam ſi diminuere poſſunt, exultant in aduerſis illius; ſi non poſſunt, in proſperis illius affliguntur. Quæ exultatio in aduerſis alterius, etſi non ſit ipſa inuidia, ſed velut filia ex illa ſequatur, tamen, vt eſt frequentiſſima, ita grauiſſima, neque ſua pœna caret. Qua de cauſſa eam Iob. 31. 29. Iob tantopere declinauit, qui auſus eſt dicere: *Si gauiſus ſum ad ruinam alterius, qui me oderat: & exultaui, quia inueniſſet eum malum.* Prou. 17. 5 Et alio loco dicitur: *Qui in ruina lætatur alterius*

*terius, non erit impunitus*, ait Salomon; &, *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius, non exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam*; eamq; in te transferat. Immo transfert. Nam *vita carnium sanitas cordis, putredo oßium inuidia*; & sicut ærugo ferrum, sic inuidia quē infecit, animum consumit. Quippe, vt Plautus ait: *Inuidere alij bene esse, tibi male esse, miseria est. Qui inuident, egent. illi quibus inuidetur, rem habent.* Itaque Deus inuidum cruciat amaritudine sua; qui semper *carpitq;, & carpitur vnà*; punit hostimento etiam ac talione; &, ni resipiscit, ad æterna supplicia amandat. Neque eò differt pœnam; sed, in hac ipsa illi vita, quendam Auernalium suppliciorum gustum propinat. Vnde inuidia *non solùm alienos, verùm multò magis eum, quem possederit, lacerare consueuit*, vt ait D. Ambrosius. Immo inuidi liuido dente se ipsos rodunt, consumunt, occidunt, & secretis conscientiæ vngulis discerpunt. Quod in Aiace Telamonio ostendit Sophocles, cui quia mortui Achillis arma abiudicata, & Vlyssi in præmium virtutis data sunt, furor incredibilis mentē occupauit, qui eum eò impulit, vt in proprium gladium incumberet;

Prou. 24. 17.

Prou. 14. 30.

Plaut. in Tricu-lento.

S. Ambr. lib. de fuga seculi.

Sophocl. in Aiace.

beret; quod & regiâ inuidiâ rabido Sauli tandem contigit. Qui, quoniam in innocentissimum, optimeque de Rep. meritum Dauidem ira inuidiaque flagrauit, à Domini spiritu relictus est, & à nequam possessus, donec & ipse Isacidarum Aiax in gladium proprium incubuisset. Sed hoc ipsum etiam in Soldani filio regni inuasore, supra à nobis memorato, exemplum ac remedium porrò videamus.

1. Reg. 31. 4. Plura talia exempla sunt apud Surium tom. 4. in vita Arnolphi. c. 24. 38. 41. 42.

## *PARS SECVNDA.*

XI. CRVDELISSIMA TYRANNI INVIDIA PVNITA, ET FIDELIS MINISTRI CHARITAS LAVDATA.

POSTQVAM is lamentabilem illam stragem edidit, & partim, iunioris fratris vociferatione, partim aliunde ex aula, tot parricidiorum cædes in vulgus erupit, pronum fuit, vnicuique cogitare, quid ipse ab eiuscemodi rege sperare posset, qui tam crudelis fuit in proprios fratres ac parentes. Itaque seditio inde gliscere cœpit, quam, vbi dudum ad id armato dispositoque milite, callidus parricida sopiuit, cruenta manu sceptrum inuasit, regnumque violenta successione occupauit iniustus hæres. Quod vt magis muniret, censuit vlteriùs fulciendum, interitu eorum, quos patri suo sciuerat fidissimos extitisse; in subditos quoque

quoque inuidia stimulatus. Duos è Presbyteri Ioannis regione, bonis Christianisq; parentibus oriundos egregios viros, sed fortè bello captos emptosque, in aula sua habuerat pater eius. Hos, ob præclaram indolem, rerumque gerendarum prudentiam, ac mirificam, in rebus omnibus, constantiam & fidelitatem, haud secus, quàm proprios filios diligebat. Ea de caussa, non solùm summis eos negotijs maximisque officijs, sed etiam arcibus, ac locis circumspectissimè munitis præfecit. Quo fauore regis, fortuna, non etiam virtus captorum est mutata. Nam eadem illis, in honore, quæ in seruitute fides fuit. Quæ; cùm viuente rege, tum maximè eo interfecto, probata est. Mutata iam dudum erant his captis, per ignominiam, nomina Christiana: Machomet vnus, Cain alter, in aula, appellabatur. Hos ergo duos, non nisi recti amantes, & insuper authoritate ac viribus pollentes, si parricida non è regno, vel è vita eiecisset, facilè metuebat, se eiectum iri. Cæterùm fraude potiùs, quàm vi rem tentandam ratus, alterum, cui Machomet nomen, ad se venire iussit. Venientem, in occasionem fraudis, interrogauit, an pro Soldano agnosceret, cum quo loqueretur?

Affir-

Affirmantis manum blandissimè apprehendit, honoribus postea varijs ornauit; plures maioréſque, cum quinque castellis, atque alijs fundis, agris, fortunisque amplissimis pollicitus, si collegam suum alterum Christianum Cain vulgò vocitari solitum, interimeret. Tunc apparuit, quantum, apud bonos, amicitia diuitijs præstet. Siquidem Machomet, neglecta tantæ promissionis spe, & metu omni contemto, ostendit, cuncta se alia potiùs paratum vel agere, vel pati, quàm vt se tam nefario perfidiæ crimine obstringeret. Triginta, inquit, annis, ô Soldane, cum collega meo vixi; eundem patriæ spiritum ab ineunte ætate hausi; idem natale solum calcaui; vnà edimus, vnà bibimus; vnà læta atque tristia experti sumus; deniq; vnà eandem belli sortem subiuimus: omnis humanitatis oblitus, bellua, tigris essem, si in immeritum, immanitatem istam perpetrarem. Tyrannus vbi vidit, surdo se loqui, neque hac via tragœdiæ suæ circulum absolui posse; tanquam si re meliùs ponderata, consilio desisteret, hominem à se dimisit, nullo præterea mandato, aut petitione oneratum. Hoc dimisso, alterum aduocauit, pari arte, aggrediendum. Perinde enim illi erat, vtro in carnifici-

nificinâ alterius vteretur. Igitur, ſicut priùs Machometum, ita nunc viciſſim Cainum, ſuauiloquentia, beneuolentijs verborũ, largiſſimis pollicitationibus orſus circumuenire haud ſanè diu laborauit. Cainus enim, cedens authoritati, non iam adamantinus, ſed cereus flecti, ſiue etiam promiſſis emollitus, ſiue tantæ lanienæ recentiſſimis exemplis fractus, ſuccubuit, promiſitque, porrecta dextera, ſe crudeliſſimi mandati miniſtrum fore. Nec diu moratus, ex aula diſcedens illico arma induit futuræ ſcenæ idonea; ædeſq; ſocij beneuolus trucidator adiuit. Procliue fuit Machometo, quod res erat, ſuſpicari. Nam & aduentus intempeſtiuus; & tyranni prior machinatio, conſiliumque adhuc alta mente repoſtum, recentique memoria fumans; & vultus ipſe Caini, aliquid vel auſi, vel auſuri, viro prudentiſſimo perſpicuè prodiderunt, quam rem cogitaret. Quocirca, velut ſubitò excandeſcens, manum capulo acinacis admouet, procurrenſque iracundè obuiam, *ô proditor impiè! ô paries dealbate! ô ſubæratum aurum! & perfide Achates, non iam Achates*, exclamat. *Patere tua conſilia non ſentis? Negare non potes. In fronte tua, lego facinus cogitatum. Non ſunt clauſa pectoris tui arcana. A tyranno*

*tyranno tyrannidem didicisti. Deserta Christi pietate, transijsti ad mores Machometanos. Sed ades. ego te præueniam; vt antè, quàm occîdas innocentem, nocens ipse occidaris. Sceleri tuo obuiam ibo, iugulatus neminem poteris iugulare.* Hac inexpectata oratione fulminatus sibi conscius Cain, altiùs in se descendit; neque, quod iam illi palam esset, veteri amico tegendum existimauit. Quare extemplo in genua procubuit, atque gladium vagina eductum, abiecit ante pedes illius, cuius iugulum destinârat ferire: cumque ceruicem ipse suam nudasset, *Feri,* inquit, *Domine, & meo me gladio verbera, hominẽ omnium, quotquot mortales viuunt, ingratissimum, perfidissimum, mori dignissimum: & quidem illius manu mori, in quem perfidus extiti.* Nihil aliud expectabat Cain, quàm ferrum, & fatum. Sed melior Machometus; *Etsi,* inquit, *necari dignus es, qui tot annis intimè cognitum amicum ad necem destinasti; tamen dono vitam; do veniam; surge. At ne sine omni vulnere abeas, dicam quem tu volueris vulnerare: illum nempe, quem tyrannus, in eadẽ caussa, priùs compellauit, iussitq́; tibi vim inferre. Sed ego pristinæ familiaritatis memor, & legis Christianæ, ipse malui mortis me periculo exponere, & amicitiæ potiùs, quã vitæ*

*vitæ indulgere. Restiti igitur Tyranno, & id facere me non posse, dixi; cui te nunc vidi consensisse, & iniquam cædem mandanti parere voluisse. Peperci tibi, vt cumulatione beneficij ex amico carnificem facerem, & ab illo mactarer, cui caussa fui, ne mactaretur. Verùm hæc fuêre; condono omnia; vt vel hinc tibi amicitia accrescat, discasq; posthac odisse odio dignos. An enim non vides, quàm sæuus sit, cui operam addixisti, vt sicarius fieres? Huc vsque diabolus fuit, sed catenatus: nunc, parentibus è medio sublatis, fratribusq; sepultis, velut ruptis catenis, quid non tentabit? Sed nostri officij est, obstare violento. Abi ad illum, & simula, te, quod mandârat, perfecisse, meq; dic, ferro tuo cecidisse; cetera mihi permitte.* Abijt Cain, Tyrannoque retulit, se ipsius mandato paruisse, Machometum vixisse; hoc habere. Quod vbi ille audiuit, iam, contra vnum pugnare, longè facilius duxit: astu tamen vim occultauit. Quippe, gratijs illi magnificè actis, ad complexum illius cucurrit; sed inter amplectendum inopinantem pugione percussit. Perlatus est illico cædis huius rumor ad Machometum, qui rem non diutiùs distulit, sed armis raptim instructus ad palatium properauit. Ibi tot funeribus funere etiam ipsius parricidæ cumulatis, &

ſe hoſte, & regnum Tyranno liberauit. Fraude vti noluit, virtute vicit. Glorioſiùs enim exiſtimauit rem manu, quàm aſtu geri. Igitur, tanquam primæ admiſſionis aulicus, audientia non petita, ad Soldanum intrepidè ingreſſus eſt. Tyrannus, eo viſo, excandeſcens, *Ergóne*, ait, *tu canis, & fili canis, adhuc aura veſceris?* Cui Machometus, *Ingratijs tuis viuo*, inquit, *& quia cane deterior es, ego nunc te ipſum neci dedam.* Corripiunt vtrinque ferrum, & acerrimè dimicant. Poſt diuturnam pugnam, cecidit, qui meruit; parentibuſque ſuis inferias tulit truculentus filius; quē inuidia in ſui patris necem impulit, & propriâ dignum fecit, vt etiam ipſe ſceptro, quod genitori eripuit, ſpoliaretur. Paucos igitur dies in ſolio ſedit, qui niſi per nefas aſcendiſſet, multos annos regnaturus erat. Iuſtè ergo paſſus eſt à miniſtro, quod ipſe longè crudeliùs fecit parenti. Hoc facinore in conclaui patrato, inde victor progreſſus Machometus, militem collegit, populoque conuocato ad concionem, occiſi Tyranni hiſtoriam omnē explicatè narrauit. Miro applauſu exceptus eſt; magnaque totius multitudinis gratulatione, gaudentis, ſe tam immiti jugo, belluaque adeò infeſta eſſe liberatam. Eadem

dem mens, eadem vox fuit procerum, qui omnes Machometum posthac Soldanum esse iusserunt. Ille quasi honorem acceptaret, milite munitus, turbas regni composuit: &, mira celeritate, intra viginti dies, omnia tranquillauit. Quibus elapsis, cùm omnia conquiescerent, conuocatis rursus tam proceribus, quàm populis vniuersis, statum regni exposuit, tandemque regis filium natu minimum superstitem produxit, ad hunc, non ad se regnum pertinere dicens, non iam fatuum, sed Dei (qui quæ sunt stulta mundi eligit) suffragio coronandum. Itaq; coronam de suo capite detractam, iuueni imposuit. Qua tanta fidelitate effecit, vt non solùm *amicus Dei* à cunctis appellaretur, sed etiam, vt, cum summa Christiani nominis existimatione atque incremento, haberetur pro vrbis, & totius regni Gubernatore, donec regius puer, ex ephebis excederet, & per ætatem ipse regnare posset. Hæc initia fuerunt Armuzium Christianam religionem introducendi, quæ velut fundamenta iecit diuina Prouidentia, super quibus postea P. Gaspar Barzæus noster reliquam Ecclesiæ structuram ædificaret, cuius vita passim extat.

XII. INVIDIA QVOVIS SVPPLICIO DIGNA: CHARITAS QVOVIS PROEMIO ET LAVDE. Trahuntur etiam ex hac parte historiæ istius egregia contra inuidiam documenta. Nam insatiabilis Tyrannus, vsque ad eorum etiam cædē progressus, qui parenti eius fideles extiterunt, non solùm docuit, prudenter à Cleobulo responsum esse, *inter præcipuè cauenda, esse amicorum inuidias, & insidias inimicorum*; sed etiam, quàm diabolicum, & nullo supplicio satis plectendum sit hoc vitium, manifestè demonstrauit. (Max. ser. 54.; S. Chrys. hom. 41. in Matth.) *Quemadmodum sues*, ait S. Chrysostomus, *lutosa immunditia, & dæmones nostris damnis lætantur, sic inuidi calamitate proximorum exultant, alienas jacturas suos quæstus existimat. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? nonne omni cruciatu torquendi? Non aliter profectò, quàm rabidi canes, dæmonisq; atroces furiæ. Nam velut scarabæi alieno stercore, sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur. Inuidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum conuertit.* Qua de caussa meritissimò Tyrannus ille parricida *diabolus catenatus*, torquatus, diadematus, potuit nominari, atque inter eos accenseri, quibus dicitur: (Matth. 25. 41.) *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Igitur, vt eiusdem modò laudati Patris vtar verbis:

Verbis: *Fugiamus inuidiæ pestem. Non enim licet euadere ignem diabolo paratum ab hoc malo non liberatos. Liberabimur autem, si cogitemus, quo modo Christus & nos dilexit, & alterutrum amare præcepit. At quomodo nos dilexit? Pretiosum sanguinem dedit pro nobis, qui eramus inimici, & modò peccaueramus: hoc etiam fac pro fratre. Nam propterea dicit: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Immo verò, nec ita mensuram statuit. Nam ipse pro inimicis hoc fecit. At non vis tuum, pro fratre, sanguinem effundere? Quid igitur illius sanguinem fundis, ex opposito mandatum oppugnans?* Præceptum charitatis est, alterius bono gaudere, inuidiæ fructus est, dolere: *charitas non æmulatur*, liuor cor exedit, quia proximi bono suum diminui credit, *tolle inuidiã, & tuum est, quod habeo: tollam inuidiam, & meũ est, quod habes.* Amicorum enim, si sibi non inuident, omnia sunt communia. Charitas non solũ pro proprijs, sed & pro alienis successibus ac rectè factis Deum laudat. Hinc ait Apostolus: *Primùm quidem gratias ago Deo meo, per Iesum Christum, super omnibus vobis, quòd fides vestra annuntiatur in toto mundo:* inuidia ringitur, & Nemesi injusta judicat, Deum dona indignis conferre. Charitas &

S.Chrys. hom. 53. ad pop.

Ioan. 13. 34.

Rom. 1.8.

humilitas exaltatur; inuidia dum se exaltat, humiliatur: hoc in Tyranno, illud ostensum est, in Machometo, cui maior gloria venit è corona repudiata, atque in verum hæredem translata, quàm cum illi eadem à proceribus & populo offerretur. Multæ filiæ matre mortua viuunt, superbia est inuidiæ mater, sed talis, vt filia, extinctâ matre, non possit superesse. *Inuidia est filia superbiæ: sed ista mater superbia, nescit esse sterilis*, ait S. Augustinus, *continuò parit: suffoca matrem, & non erit filia.* Suffocatur autem superbia etiam per ipsum appetitum excellentiæ, si consideretur, honores sæpius ambitione perdi, quàm acquiri. Quid, stolidi, per vim vobis ad sceptra viam paratis? quid regibus legitimis ea, de manu extorquetis? hoc pacto non itur ad gloriam; sed honores & regna, & ipsa vita amittuntur. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Christiani, qui se humiliant, exaltantur: gentes quæ se exaltant, humiliantur. *Huic periculo consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueũ zabuli incurreret*, ait S. Cyprianus, *cum eum discipuli interrogassent, quis inter illos maior esset; Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. Amputauit omnem æmulationem responso suo, omnẽ caussam*

S. Augustin. de verbis Domini.

Matth. 22. 21.

S. Cyprian. de zelo & liuore.

*caussam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abscidit. Exaltationis, apud nos, non potest esse contentio; de humilitate ad summa crescimus:* sicut creuit, qui coronam sibi detraxit, & filio regis tradidit; pluris enim illius virtus, quàm huius potestas fuit æstimata. Ad eundem modum, si & nos, non tantùm verbo, sed & corde dicamus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam;* nulli suũ honorem, nulli opes, nulli scientias inuidebimus, sed potiùs Deo gratias, pro istis, agemus; quia sic nomini illius gloria datur, immo sic & nos ad æternam gloriam peruenimus, quæ est omnibus rebus mundi anteferenda: quarum contemtus & inuidiã elidit, & promouet nos ad bona longè præstantiora. Psal. 113. 9.

XIII. Remedia alia in-vidiae. S. Basil. hom. 11.

Quod est S. Basilij remedium, dicentis: *Quid faciendum, vt hac peste affecti facilè liberemur? si nihil rerum humanarum magni æstimemus: non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad æternorum bonorum participationem vocati sumus. Opes, honores, voluptates, eloquentia, instrumenta sunt virtutis rectè vtentibus, nihil per se veræ felicitatis habentia. Qui ergo ita fuerit animatus, vt nihil vsquam humanum admiretur, huic procul dubio inuidia domi-*

*nari non poterit.* Hoc remedium morbi istius habemus. Quanquam, & ij, qui potestate pollent, hîc debent vigilare. Antisthenes absurdum esse dicebat, triticum repurgare à lolio, bellum ab inutili milite, & à Republica non secernere inuidos. *Deponentes igitur omnem malitiam, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Illi autem qui aliorum inuidia agitantur, sciant Abelem esse non posse, quem malitia Cain non exercet. Vtantur ergo aliorum malitia in bonum; sicut inuidi aliorum bonis in malum abutuntur. Sciant, honesta, etiamsi per inuidiam ad tempus obscurentur, tamen suo tempore soluta iterum splendere. Vt enim flammam primùm emicantem, multus comitatur fumus, qui ea conualescente, & se se explicante euanescit: sic res egregias aggredientem initio multa premit inuidia, donec, auctam gloriam, inuidiæ fumum discutiat. Nam fumus gloriæ inuidia est. Sciant inuidiam non solùm agere *antagonistam fortunatorum,* sed etiam esse *testem virtutis.* Qua de caussa Themistocles adhuc adolescens nihil dum præclari se fecisse dixit, *Nondum enim sibi inuideri.* Nam sicut cantharides vegeto

Laërt. l. 6. cap. 1.

1. Petr. 2. 1.

geto maximè tritico innascuntur, & rosis pulchrè florentibus: sic inuidia maximè inuadit bonos viros ac ingenij personæq; gloriam sustinentes, & inuidere nescientes; atq; ob hoc ipsum similes in terra erunt Diuis cœlestibus, quorum nemo alteri inuidet, quantumuis in gloria maiore collocato. Sicut neque soli luna, neq; lunæ cetera astra, ob splendorem clariorem inuident; neque terra superioribus corporibus, quibus subiacet, neque flumina Oceano. Hæc est harmonia mundi. Ad quam etiam pertinet hæc mixtura fortunæ atque inuidiæ. *Scio,* inquit Xenophon: *nonnullos liuore ductos morbo animi obtemperaturos. Tamen memor nullam vnquam virtutem caruisse inuidia ( malè etenim cum eo agitur, cui nullus inuidet ) æquanimiter feram eorum dicacitatem.* Signum igitur excellentiæ est, *inuidiam pati;* hæc enim non petit, nisi felices; sicut signum est miseriæ, *inuidiâ* (quam Socrates *animæ vlcus* & *serram* appellauit) *flagrare;* nisi enim aliquid sibi deesse putaret, quod in altero videt, nemo inuideret. Itaque, qui inuidet, minor est, & hinc miser, quia simul & peccat, & plectitur, expeditâ iustitiâ, & occasionē dat, vt dicatur: *Aut Mutio nescio quid incommodi accidit, aut*

Xenoph. l. 1. Cyripædiæ.

Stobæus serm. 36.

Macrob. lib. 2.

Satur. c. 2

*nescio cui aliquid boni.* quod Publium olim dixisse testatur Macrobius, cùm hominem inuidum, & in primis maleuolum videret solito tristiorem. Quin & se pusillanimem ostendit; quia licet tanquam ignis summa petat ex imo, tamen in imo manet. Hinc ille dixit: *omnibus ex vitijs, nullum pigrius inuidia, altos in animos non ascendit: nullum quoque miserius;* quippe suis malis, & alienis bonis, immo ipsa virtute torquetur; & *quia inuidi atque maligni vitioso oculo vident, quæ vident: & confusi caligine nequitiæ in id cadunt, vt minùs videndo plus videant; cùm tamen id, quod est ita, vt est, videre non possint, in tantum enim captum cor obliquat inuidia, vt rectum natura non videat.* Hinc dantur consilia perniciosa, & nulla magis damnantur, quàm quæ sunt vtilissima fortunis aliorum; planéque sarcasmus fuit, quando, coram Friderico rege, alijs disputantibus, *Quid præcipuè conferret oculorum perspicuitati?* & quibusdam respondentibus *fœniculi afflatum*, quibusdam *vitri vsum* laudantibus, Actius Sincerus dixit, his longè antecellere *inuidiam:* vt quæ omnia maiora plenioraque videre faciat. Hoc ipso enim oculos fallaces facit, non perspicaces. Deniq; vt sagitta in mittentem retorta, ita

Francisc. Petrarch. diál. 106.

Paulus Oros. de Ormesta lib. 4.

ita suum inuidia ipsum conficit authorem, cui ex vultu liuido relucet, cui pectus intemperijs implet, cui & corpus & mentem, & illa ipsa, si quæ habet, bona funditus euertit. Bellè proinde describitur à Poëta.

*Liuor tabificum malis venenum,*
*Intactis vorat ossibus medullas,*
*Et totum bibit artubus cruorem.*
*Quo quisquis furit, inuidetq́; sorti,*
*Vt debet, sibi pœna semper ipse est.*
*Testatur gemitu graues dolores:*
*Suspirat, fremit, incutitq́; dentes.*
*Sudat frigidus intuens, quod odit.*
*Effundit mala lingua virus atrum:*
*Pallor terribilis genas colorat:*
*Infelix macies renudat ossa.*
*Non lux, non cibus est suauis illi.*
*Nec potus iuuat, aut sapor Lyæi.*
*Nec si pocula Iuppiter propinet,*
*Atque hæc porrigat, & ministret Hebe,*
*Aut tradat Ganymedis ipse nectar.*
*Non somnum capit, aut quiescit vnquam.*
*Torquet viscera carnifex cruentus,*
*Væsanos tacitè mouet furores,*
*Intentans animo faces Erinnys*

*Lethalis,*

*Lethalis, Tityiq; vultur intus,*
*Qui ſemper lacerat, comeſtq; mentem.*
*Viuit pectore ſub dolente vulnus,*
*Quod Chironia nec manus leuârit,*
*Nec Phœbus, ſobolesq; clara Phœbi.*

CAPVT

# CAPVT V.

## GVLÆ ET LVXVRIÆ VITIVM EMENDATVM, ET SEVERO POENITENTIÆ GENERE A MARIA ÆGYPTIACA CASTIGATVM.


*Propter crapulam multi obierunt. Eccl. 37. 34.* Wolf. Kilian f.

TEMPORIBVS Honorij Papæ I. atque Heraclij Imperatoris, vixit S. Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, fuitq; sub initium hæresis Monothelitarum, insignis fidei Catholicæ defensor, qui diem suum obijt Anno Domini 634. Huius

I. AVTHORIS AVTHORITAS.

Baron. tom. 8. Annal. Apud Heribert. Rosvveydum l. 1. de vitis Patrum à pag. 381.

Huius tanta est authoritas, vt epistola illius ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum in 6. Synodo Act. 11. citetur. Hic Sanctus Sophronius, præter cetera, quæ posteris legenda & discenda reliquit, scripsit etiam vberioribus verbis sequentem historiam, ob temporis angustias, à me in compendium redigendam. Non tamen sine morum condimento, vt & iuuenes castitatem, & senes discant colere sobrietatem; turpe enim est adolescentibus lasciuire; fœdum & absurdũ senibus, adolescentiari; & luxus vtriq; ætati vel vitandus, vel dediscendus. Historiam Prophetæ verbis ordior.

II. ZOSIMAE PROFECTVS. Thren. 3. 27.

*Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua*, idcirco Zosimas sanctus ille (non hæreticus, qui ab hoc alius fuit) ab ipsis maternis vlnis auulsus in quoddam Palæstinæ monasterium fuit portatus, in quo cum illo virtus perfectioque religiosa à teneris vnguiculis ita creuit, vt non solùm cœnobij regulas omnes quàm exactissimè seruaret, sed etiam multa alia per quàm liberaliter adijceret, vigilantiæ, abstinentiæ, coniunctionis cum Deo opera; adeò, vt neque inter manuum labores, neque cùm cibum sumeret, à feruenti diuinarum rerum meditatione, sacrisq; cantibus

tibus desisteret; eaque propter à plurimis Dei seruis, è locis longè dissitis, tanquam ad archetypum vitæ sanctæ venientibus visitaretur, qui ab eximio eius exemplo sibi ideam sumerent philosophandi. Ad hanc sanctitatem diuturnitas accessit; in ea enim seueritate vitæ, quinquaginta tres totos annos, perseuerauit. Nemo innocentiæ suæ nimium confidat; nemo sibi placeat, si diu benè vixit; sed *qui stat, videat, ne cadat.* Quàm diu viuimus, *militamus*; & prorsus *militia est vita hominis super terram*, in militia autem nemo est securus. Ibi, vt vincere possumus, ita & vinci; & vtique tantò proniùs, quantò minùs sumus exercitati athletæ. Quid enim nobis non potest accidere, si Zosimas, qui diuinis sæpe visis atque reuelationibus armatus, à puero inter pietatis doctores educatus, post solidos quinquaginta tres annos, superatus est à superbiæ tentatione? Adeò semper vigilandum, neque vlla hosti Tartareo rima aperienda est. *Cancer*, ait S. Ambrosius, *libentissimè vescitur carnibus ostreorum. Verùm quoniam illa benè munita sunt firmissimis vtrinque testis, vt vi perfringi non possint, obseruat callidè, dum se exponant ad solem. Ibi dum se aperiunt, & captant auram, cancer immittit hianti-*

1. Cor. 10. 12.
Iob. 14. 14.
Iob. 7. 1.

*bus*

*bus in os lapillum, vt testas reducere non poßint; postea satis tutò intrudit chelam, & depascitur. Ita cùm homines sese dedunt otio, & animum aperiunt voluptatibus,* & vanitatibus, & inanibus laudum auris captandis, *venit diabolus, immittit fœdas cogitationes; atque ita cùm illi testam, qua antea muniebantur, non poßint retrahere, deuorantur.* Sic multis contingit; & prope etiam Zosimo euenisset, qui in ipso virtutum mari superbiæ naufragium est passus, haud obscurè demonstrans, verè dictum esse à S. Augustino: *Cætera vitia in malè factis valent, sola superbia etiam in rectè factis est cauenda: ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Quod vel Claudianus aduertit ita canens:

S. Augustin. de nat. & gratia in ep. ad Dioscor.

Claudian. 2. Stilic.

*Quin ipsa superbia longè*
*Discesßit, vitium rebus sollenne secundis,*
*Virtutumq́; ingrata quies.*

III. ZOSIMAE TENTATIO ET CVRATIO.

Cùm enim ita, vt dixi, in virtute profecisset Zosimas, atque se videret, tanquam ideam perfectionis, adiri, salutari, & considerari, dæmone malo occasionem captante, & Euge suum suggerente, & ipsa quoque diuina prouidentia vtili consilio permittente, periculosa mentem illius cœpit quatere cogitatio, quasi iam omnibus numeris perfectus esset & absolu-

absolutus, neque vllius ampliùs alterius exemplo, aut doctrina magisterioue indigeret. Et fastu tumens ausus est secum ita loqui: *Nunquid est in terris monachus, qui nouum aliquid possit tradere mihi, iuuare me valens in aliquo, quod ignorem? aut quod ego in monachico non expleuerim opere? Numquid inuenitur eorum, qui solitudinem duxerunt, vir, qui prior me in actibus sit?* Hunc etiam optimi quique habent hostem: postquam omnia vitia superauerunt, periclitantur, ne tanquam victores superbiant. *Quis vestrûm,* ait Seruator, *habens seruum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe: & non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Ita quidem sentire, ita loqui deberent Dei serui; si tamen eos cadere permittat benignus Dominus, *dat cum tentatione prouentum,* vt, quod de Antæo ferunt, fortiores surgant, postquam ceciderunt. *Vidi,* inquit B. Climacus, *& feliciores existimaui, qui post lapsum ita lugent*

Luc. 17. 7.

Ioan. Climac. grad. 5.

*gent, quàm qui nunquam lapſi ſunt, & ſeipſos ſic non deflent.* Vt ergo Zoſimas quoque intelligeret, quàm longè alij eo ſanctiores eſſent, atque inde in ſui contemtu creſceret, superbè de ſe cogitanti radioſus de cœlo Angelus aſtitit, hiſque eum verbis eſt affatus: *Certaſti, ô Zoſima, diu heroicè, ſed victor victus es. Ergo vt agnoſcas, quantùm tibi adhuc deſit de illa virtutum perfectione, quam alij complures obtinuerunt,* Gen. 12. *egredere de terra & de cognatione tua, atque ad cœnobium, Iordani adſitum proficiſcere.* Audijt, fecit, ſuſceptus eſt, vidit abſtinentiam, vigilias, orationes, charitatem mutuam, ſilentium tantum, vt nunquam, niſi cum Deo, aut de Deo, aſcetæ illi loquerentur. Ob quam rem, in Paradiſum, aut ipſum cœlum, vel ad Angelos certè in terris verſantes, arbitratus eſt ſe perueniſſe, à quorum cœleſti exemplo in ſchola virtutum erudiretur. Quanquam non erat hic vltimus ſcopus, ob quem Zoſimas iuſſus eſt de monaſterio egredi, in quo fuerat educatus. Adhuc longa illi, & grandis reſtabat via; quæ non ſine diuerticulo à nobis eſt perſequenda.

IV. GVLAE VITIVM, SPECIES, ET DAMNA.

Itaque audite, ventres, helluones, edones, gurgites, abiecta in paſtum mancipia, & obſtupeſcite. Quid de duobus debitoribus cenſeretis

feretis, quorum vnus denario, alter mille talentis obſtrictus, ille mille talenta, iſte vix denarium ſolueret, etſi ſoluendo eſſet? Idem de vobis iudicatote. Maximi peccatores ſunt maximi debitores, & plerumque etiam minimi ſolutores; neque tantum pro mille peccatis volunt ſatisfacere, quantum faciunt ſancti pro vnica leuiſſimæ etiam culpæ offenſione. Qui pleni ſunt iniquitate, impietate, blaſphemijs, vindictis, furtis, detractionibus, impuritate, illis nimis grauis ac diuturna eſt Quadrageſima; aiunt ſe dormire non poſſe, ſi non cœnent; in morbos cadere, niſi carnibus veſcantur: totos dies verſantur in popinis, totas noctes comburunt in poculis; & patrimonia degulant: adeò vt multi, præ continua ebrietate, nunquam ſentiant ſe eſurire. Multi etiam idcirco ſe ſe inebrient, vt conſcientiæ ſtimulos, ob flagitia ſua, fodicantes ſopiant, aut ſaltem ad aliquot horas tranquillent. Hi parati ſunt, ne peccatorum onere grauentur, onera alia adijcere; ac ne delectationem in guſtu omittant, contra diuinas humanaſque leges agere, atq; Dei gratiam amittere. Non dicam, eſſe aliquos adeò vecordes, vt ipſa ſua pia alioquin opera, intemperantijs contaminent, exercitiumq; vir-

tutis temulentiâ inficiant. Nam quando vel pœnitentiæ rigore, & ſanguine facto, quod deliquerunt, volunt extinguere, quando flagellis in terga, & peccata ſua ſæuire, nonnulli priùs vino intemperantiſſimè hauſto, ſe muniunt, itáque ſtupidos reddunt, vt præ ebrietate ictus flagrorum non perſentiſcant, & fortaſſe aliquando neſciant, aſinumné, an hominem Deo mactent. Longè aliter Chriſtus pro nobis ſatisfecit, qui per totos quadraginta dies & noctes, nihil omninò neque cibi, neque potus attigit: quin ipſa etiam in cruce, atq; ardentiſsima, ob effuſi tanti ſanguinis copiam, ſiti & ariditate poſitus oblatum ſibi vinum, *cùm guſtaſſet, noluit bibere.* (Matth. 27. 34.) Certè, ſi *gula eſt immoderata cupiditas delectabilium ſecundum guſtum, ſeu cibi ac potus inordinatus appetitus;* vt è D. Gregorio S. Thomas docet, gula nos oppugnat & quoad modum, & quoad rem guſtandam. (S. Thom. 2.2.q.148. a. 1. S. Greg. lib. 39. Mor. c. 27 & lib. 31. cap. 31.) In modo, ſi tempus non ſeruatur, aut ſi non refrænatur auiditas: in re, ſi exceditur in quantitate, pretio, aut præparatione. Itaque quinque vijs nos *Gulæ vitium inuadit.* 1. Quando *indigentiæ tempora præuenit*, maximè diebus jeiunij, vt Ionatham filium Saulis, quem adegit ad mel delibandum, ieiunij tempore nondum (1. Reg. 14.)

tranſ-

transacto, & alios ventri obedientes, qui quia quandocunque, aut vbicunque pabulum inueniunt, instar Harpyiarum inuolant, ideò animalium, non hominum numero computantur. Apud quos venter præcepta non audit, poscit, & appellat nulla non hora. 2. *Si cibos*, vel potus *lautiores quærit*, vt Israëlitæ; aut vetitos, vt carnem in quadragesima, vel die Veneris & Sabbathi. De lautè cœnantibus, *Et quibus in solo viuendi caussa palato est*, porrò ita queritur Poëta: Num. 11. 4. Iuuen. sat. 1.

*Interea gustus elementa per omnia quærunt;*
*Nunquam animo pretijs obstantibus, interiùs si*
*Attendas, magis illa iuuant, quæ pluris emuntur.* Petron. Arb. in Satyr.

Sic *deficiente crumena, Et crescente gula*, dum noté iam nauseantur & inamarescunt epulæ, dum Iouis lac aut cerebrum, dum mellis medulla quæritur,

*Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus*
*Ad mensam viuus perducitur, atque Lucrinis*
*Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas,*
*Vt renouent per damna famem. Iam Phasidis vnda*


Or-

*Orbata est auibus, mutoq; in littore tantùm*
*Solæ desertis aspirant frondibus auræ.*

Stat. l. 4.

*Ah miseri! quos nosse iuuat, quid Phasidis ales,*
*Distet ab hiberna Rhodopes grue: quis magis anser*
*Exta ferat? cur Tuscus aper generosior Vmbro:*
*Lubrica qua recubent conchylia molliùs alga?*

Lucan. lib. 4.

*ô prodiga rerum*
*Luxuries, nunquam paruo contenta paratu!*

1. Reg. 2. Hugo in clauil.

3. Gula præsto est, quando ea, quæ sumenda sunt, aliquis *præparari accuratiùs appetit*, vt filij Heli. *Superstitiosum quidam nimis, in suis præparandis cibis, adhibent studium, infinita decoctionum, frixurarum, & condimentorum genera excogitantes* ait Hugo, *modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida; modò cocta, modò assa; modò pipere, modò allio; modò cymino, modò sale condita, secundùm consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes, ita quod sibi desudant coquorum artes, & fiunt variæ quæstiones, vtrum fieri debeant assata, vel frixa, vel elixa; & tanta solicitudine præparantur, vt de-*

*uoratis quatuor vel quinque ferculis, prima non impediant nouißima. Et cùm iam stomachus crebris ructibus repletum se indicat, nondum tamen curiositas satiatur. Isti videntur colere ventrem, tanquam Deum.* Et quia *solent Dijs templa construi, altaria erigi, ministri ad seruiendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari: Deo ventri templum est coquina; altare mensa; ministri coqui; immolatæ pecudes, coctæ carnes; fumus incensorum, ordo saporum.* 4. Et illa gulæ præclara est species, quando *in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit,* vt Sodomitæ fecerunt. Vna silua pluribus elephantibus sufficit: homo verò pascitur vix terra & mari. Fuit Heraclides pugil, teste Plutarcho, infiniti prope cibi potusque capax: non reperiebatur illi compar in potando. Apud Athenæum, Amaranthus Alexandrinus scribit, Herodotum tubicinem Megarensem magnitudinis fuisse trium vlnarum cum dimidio, lateraq; fortia habuisse, ac sex panis semodios edisse, carnium libras viginti, binos vini congios ex argenteo non tam scypho, quàm puteo bibisse. Sed magno ventri, magno opus erat pabulo; minusque est mirum, si Polyphemo vna in cænam ouis & duo vini vtres non suffecerunt. Flauius

Iuuenal. sat. 1.

Ezech. 25. 49.

Plutarch. l. 1. Conuiu. qq.

Athenæ. l. 10. c. 1.

Vopiſcus memorat, Phagonem quendam Aureliano in delicijs fuiſſe, qui vno die, ad menſam Imperatoris, ederit aprum integrũ, centum panes, veruecem & porcellum; biberit autem infundibulo ori appoſito plus orca.

Iuuenal. ſat. 1.

*Quis ferat iſtas*
*Luxuriæ ſordes? quanta eſt gula, quæ ſibi totos*
*Ponit apros?*

immò ſumit, & conſumit? Si tamen conſumit, & nõ potiùs ſe occidit. Ne enim turgeas, aut ne crudus fias, *Bucca Noſcenda eſt menſura tuæ.* 5. Sæuit gula, quando *& abiectius eſt, quod deſiderat, & tamen ipſo æſtu immenſi deſiderij deterius peccat*, vt Eſau, & innumeri.

Gen. 25. 33.

Si ergo his quinque modis gula delinquit, quàm multi ſunt, qui vix manè ſurgunt, & à lecto adhuc calidi, ſtatim ad offas currunt, ſtatim abſinthiacum, ſtatim vinum ſublimatum, vel, ſi hæc inopia neget, ſtatim ad cereuiſiam appellant? Quotus quiſq;, expectat prandij tempus? quotuſquiſque non conſumit plures horas vorando, quàm orando? Ipſi paruuli aſſueſcunt ab incunabulis, toto die panem, pomum, ſaccharum, aut alia opſonia in manu circumferre, ac obrodere; ad hoc illis ſacci & buccæ implentur; ad hoc nemi-

neminem volunt ſalutare, niſi cruſtula accipiant, aut melimela, quibus eos parentes aſſuefaciunt, immemores Anacreontem Teiũ vuæ paſſæ acino ſtrangulatum; aut ſaltem his talibus palatum exſurdari. Certè multi etiã opifices, ita delitijs ſe ſe aſſuefecêre, vt ſi quid boni ac rari in forum venit, illud per vxores præſtinent. Quidam, in debitis vſque ad aures demerſi, malè veſtiti, nullam ſupra ædes integram tegulam, nullum in feneſtrâ integrum vitreum orbiculum habentes, quàm primùm aliquot numulos lucrantur, illico in forum mittunt vxorem, aut ancillam, & pullos, gallinas, nefrendes, aues emi curant, vt pecuniam, velut hoſtem, citò è domo amoliantur. Hi, *vno die,* ait S. Ambroſius, *multorum dierum labores bibunt,* & comedunt; nimis parum de craſtino, de liberis, de familia ſua ſoliciti. Quin ſæpe, apud vnum proletarium, & in plebeia domo, plus piperis & condimentorum abſumitur, quàm apud multos opulentos, qui abſtinere nôrunt, quia nolunt egere. Quanquam nec iſti ſunt admodum multi. *Hæc peſtilentia,* ait Alanus, *non vulgari humilitate contenta profundiùs ſe porrigit in Prælatos, qui ſalmones, lucios, cæterosq́; piſces æquipollenti generoſitate præſignes varijs de-*

Politianus in Nutricia.

S. Ambr. lib. de Helia & ieiun.

Alan. de cõplanctu naturæ.

*coctionum cruciatos martyrijs baptizati adulterantes officium sacri piperis fonte baptizant: vt ex tali baptismate baptizati multiformẽ saporis gratiam consequantur. In eadem mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur: piscis in pipere: auis eiusdem viscositate ligatur. Dumq́; tot animalium genera, vno ventris ergastulantur in carcere, aquatile animal secum, pedestre aëreumq́; genus in eodem sepulchro intumulari mirantur. Quibus si detur licentia exeundi, egressui vix portæ sufficit amplitudo.* Hinc plura crapulæ pandenda sunt ostia; & vt Suetonius testatur, Claudius Cæsar conuiuijs plus nimio deditus, vini cibiq́ue appetentissimus vsque adeò fuit, vt sæpe stomachum vomitu cogeretur exonerare. De quantitate plura non dicam, cùm medici testentur, immo ipsa experientia, cum Sacra Scriptura, ita se se farcire multos, vt non solùm *plenus venter non studeat libenter*, seu, vt S. Hieronymus loquitur, *pinguis venter non gignat sensum tenuem*, sapientiaq; vino obumbretur; sed etiam in omnis generis morbos ebulliat; immo & paupertatem, & lites, & subitas mortes. Neque enim è gula nascitur duntaxat hebetudo sensus, inepta lætitia, ioci scurriles, multiloquium, & spurcidici sermones, immunditia-

Sueton. in Claud.

ditiaque corporis, ſed alia quoque innumera mala, velut è lerna prodeunt; immo ipſa mors. *Quidquid auium volat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus. quære nunc, cur ſubitò moriamur? quia mortibus viuimus*, ait Seneca. Et *Cui væ?* ait Salomon, *cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Nam etſi pugnare ſcyphis Thracum eſt, & barbarorum, ſcyphi tamen ipſi, & animum & bilem accendunt, atque ex humaniſsimo quoque barbarum faciunt; quin & egentem. *Operarius ebrioſus non locupletabitur;* enimuerò ſi locuples fuerit, ad incitas redigetur: quin & ſe ipſum occidit, qui nimium comedit, vel bibit. Siquidem *propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam. Hippocrates*, ait S. Hieronymus, *in Aphoriſmis docet, craſſa & obeſa corpora, quæ creſcendi menſuram compleuerint, niſi citò ablatione ſanguinis imminuantur, in paralyſin & peſſima morborum genera erumpere. Et Galenus Hippocratis interpres, athletas, quorum vita & ars ſagina eſt, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe: animasq́ eorum ita nimio ſanguine & adipibus*

Senec. 10. Rhet.
Prou. 23. 29.
Eccli. 19. 1.
Eccli. 37. 34.
S. Hieronym. l. 2. contr. Iouinian.

*adipibus, quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare.* Valentinianus Imperator Quadorum legationi respondens, voce impetu sanguinis amissa, sensu integer expirauit. Quod ex intemperantia cibi ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse, multi detulere, vt tradit Sextus Aurelius Victor. Quo etiam teste, Septimius Seuerus Imperator, dum membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ auidiùs deuorauit: quem dum concoquere non posset, cruditatem passus, expirauit. Quin & Eusebius refert, Domitium Aphrum cibi superfluitate redundantem, in cœna perijsse. Quod & Iouiniano Imperatori contigit. Certè Gregorius Turonensis author est, Childericum Saxonem, cùm aliquando ad ambas aures vsq; cibo se ingurgitasset, eo suffocatum, & in lecto mortuum repertum fuisse. Andebuntus Anglorum rex quandoque tantum vini sumpsit, vt eo suffocatus repentè excesserit. Sed in vino tot periêre, vt numerum superent. Antè tamen mens perit, quàm corpus. Quod Poëta Claudianus his versibus indicauit.

*Luxuries*

*Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper*
*Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus,*
*Membraq́; Circæis effeminat acriùs herbis.*
*Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior vlla*
*Interiùs, fucata genas, & amicta dolosis*
*Illecebris, tortos auro circumlinit hydros.*
*Illa voluptatum multos intexuit hamos.* Claudian. in laudib. Stiliconis Paneg. 2.

Quod & Seneca dixit monens: *Nullum hostem tam contumeliosum esse in quenquam, quàm in plerosque voluptates suas: quæ cùm hominem arripuerint, penitus submergunt, & subuertunt.* Adstipulatur & os aureum inquiens: *Quod equis accidere solet, id hominibus quibusdã, accidit, vt quò copiosiùs ipsis suppetunt necessaria, hoc euadant ferociores.* Et iterum: *Fumus abigit apes, dona verò spiritualia fugat luxus;* quem Ægyptij hieroglyphicè *porci* simulachro expresserunt, semper deorsum in terram atq; pastum inclinati. *Fames amica virginitati est, inimica lasciuiæ*, ait S. Ambrosius, *Saturitas verò castitatem prodigit, nutrit illecebram.* S. Chrys. hom. 2. de ieiunio. Pier. Valer lib. 9. S. Ambr. serm 40.

Nihil hinc mirum, gulones, ponderoso ventre depressos mentem non posse in cœlum & cœlestia extollere; citiùs saturitate mori, quàm homines osseos longâ inedia, atque ieiunijs V. GVLA DEVS, CVR INIMICOS

SVOS SINAT PINGVESCERE?

iunijs assiduis emaciatos. Illud mirissimum est, ieiunia meritos & æternam famem, à ieiunijs tantopere abhorrere, semperque ingluuiem cogitare; ast Dei seruos ambrosiâ alendos, & nectare dignos, ad prodigium vsque cibo potuque abstinere. Nimirum vt porcos ad macellum & lanienam saginamus, venaticos autem canes, vt sint ad currendum & prædam capiendam citatiores, fame extenuamus; ita Orci pabula sinit Deus pinguefieri, &, vt ignis habeat copiosius omentum, & alimentum, *ebrietas*, teste S. Chrysostomo, *sues ex hominibus facit*; in libro vitæ ascriptos patitur corpore toto extenuari, vt per angustam portam minùs impeditè in cœlum possint penetrare, à qua, cum adipe & omaso suo, nitidæ cuticulæ, & lati ventres excluduntur; *similes illi, qui*, vt ait S. Augustinus, *epulabatur quotidie splendidè; ad cuius ianuam iacebat mendicus Lazarus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa eius, & nemo illi dabat.* Vt autem, teste S. Basilio, *ebrietas est dæmon voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica*, & vt S. Ambrosius addit, *fomentum libidinis, incentiuum insaniæ, venenum insipientiæ; & ebriosi regnum Dei non possidebunt*, sed *ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum:*

S. Chryſ. hom. 38. in Matth.

S. Augustin. ser. 232.

Luc. 16.

S. Basil. hom. 14.

S. Ambr. c. 16. de Elia & Ieiunio.

1. Cor. 6. 10.

*ŧorum* : ita abſtinentia modeſtos, placatos, ſobrios, prudentes, virgines, angelos facit. Quin & inter homines pacem concordiamque conſeruat. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſſa vulnera? Cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Qua de cauſſa Heraclitus in ſeditione rogatus, vt apud populum ſententiam diceret, quo pacto ciuitas redigi poſſet in concordiam, conſcenſo ſuggeſtu, popoſcit calicem aquæ frigidæ & paululum farinæ inſperſit, mox de glechone admiſcuit, quod eſt vel pulegij ſilueſtris, vel leguminis genus. Deinde, epoto calice, diſceſſit, nec verbum addidit: hoc pacto innuens, ita demum ciuitatem cariturarn ſeditionibus, ſi, repudiatis delicijs, aſſueſceret paruo contenta eſſe. Hinc, apud Eremitas, nullæ lites, quia nullæ compotationes; hinc animi domiti & patientes, quia corpora abſtinentijs ſtringuntur, ne inſoleſcant. *His, qui bellicis rebus exercentur,* ait S. Chryſoſtomus, *quiq; palæſtris luctando deſudant, conuenit vt ciborum copia reddant ſe ipſos corpulentos & obeſos; videlicet, quò validioribus neruis labores queant capeſſere. Contra verò, quibus non eſt colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus*

Pſal. 10. 6.

Prou. 23. 29.

Eraſm l. 8 apopht. ex Plutarcho.

S. Chryſ. hom. 2. de ieiunio.

*aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spirituales malitias; hos oportet per sobrietatem, ad jeiunium, ad certamen exerceri. Leuius periculum est, si quis Rhipsaspis appelletur, quòd clypeum in acie abiecerit; quàm si magnam illam armaturam jeiunium videatur abiecisse.*

VI. QVADRAGESIMAE IEIVNIVM STRICTE OBSERVATVM.

Hac de caussa, (vt ad historiam redeamus) in monasterio, ad quod Zosimas ab Angelo missus est, moris erat, vt primæ hebdomadæ jeiuniorum Dominicâ die, Ascetæ singuli diuinis sacramentis muniti, atque Christi corpore & sanguine pasti, modicoque cibo refecti, vnà in oratorium conuenirent, & flexis poplitibus, orationeque ardenti ad Deum fusa, se inuicem consalutarent, Abbatemque amanter amplexi benedictionem solennem peterent. Patefactis inde monasterij foribus, clara voce cantantes exibant. Cantabant autem: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?* Vix vnus, aut alter, in rerum custodiam, domi manebat. Ceteri, aut caricas, aut palmæ fructus, dactylos, aut legumina, aut etiam nihil, præter vestem, secum efferebant, propria quadra, hoc est, thymbra & solis radicibus ac herbis victuri. Ibant autem

Psal. 26.

trans

trans Iordanem, non vt conchas legerent, aut vt sciuros caperent, sed ita, vt à se quisque vago pede discederent, neque vllus in alterius conspectum veniret. Nempe soli diuinis meditationibus, cantui sacro, ac ieiunijs vigilijsque tantò impensiùs vacare potuerunt. Sic verbis, cibis, potibus, somno, & omni solatio humano abstinentes, omnes ieiuniorum dies, asperrimè celebrabant, nec, nisi ante viuificum Dominicæ Resurrectionis diem, ad monasteriũ reuertebantur. O quantum ab his distant nostri seculi ieiunia? Multi nunc dubitant, an ad ieiunia obligentur; multi cùm vel noctu se se maximè abstinere existimant, tantùm panis, opsonij, aut lactucæ absumunt, quantum illi sanctissimi viri, cùm sunt, in ipsa Paschatis festiuitate, epulati. Multi potu famem suffocantes, quia ne bucceam quidem panis, inter bibendum, attingunt, de ieiunio sibi plaudunt, postquam, vna compotatione viginti quinque albæ cereuisiæ mensuras, per vnum ventrem percolarunt. Nempe apud eos, apud quos, *qui plus biberit, fortior computatur: vomunt, vt bibant, bibunt, vt vomant*, ait S. Hieronymus, & sæpè etiam, vt animam euomant.

S. Hieronym. in ep. ad Tit. c. 1.

VII. ZOSIMAS MVLIEREM INCOGNITAM IN SOLITVDINE REPERIT.

Zoſimas, more cæterorum, Iordane tranſito, non ſolùm vigilijs, jeiunijs, & aſſidua ad Deum oratione ſe ſe exercebat; verùm etiam jam diſcere exercitationes religioſas, quàm docere paratior, viginti dierum itinere, per omnia inuia & auia diſcurrebat, vt aliquem virtutis magiſtrum, in deſertiſsima ſolitudine, reperiret. Solebat autem, conſtituto diei tempore, figere curſum, & vel ſtans pſallere, vel genu flexo orare ad Orientem. Peracta igitur tanta via, ita oranti, vmbra quædam humani corporis, ad dexteram, apparuit; qua perculſus, Orcinum aliquem ſpiritum eſſe exiſtimans, cruce ſe muniuit. Videbatur autem vmbra illa tanto terribilior, quia in corpus quouis Æthiope nigrius, capillos demittebat à vertice, niue candidiores; qui tamen vltra ceruicem non defluebant, vt cani leonis iubæ viderentur. Cruce munitum timor omnis deſerebat; venitque in ſpem Magiſtri tantopere expetiti adipiſcendi. Sed ſpem illico turbauit fuga vmbræ ſe protinus ſubducentis, tantoque magis Occidentem verſus celerantis, quantò ille magis ſequebatur fugientem. Acuit deſiderium vires, & tardam ſenectutem velocem fecit, pedibuſque alas addidit cupiditas alloquendi;

quendi ; adeò vt properantem pœnè asse-queretur. Iamque ita propinquus, vt audiri posset, lacrymans clamauit: *Cur me fugis decrepitum ac peccatorẽ, serue Dei? Verè sustine me, per Deum, quicumque es, pro cuius nomine hanc inhabitas solitudinem. Sustine me infirmũ & indignum. Sustine me pro spe, quã habes pro tanti laboris remuneratione. Sta, & tribue orationem, & benedictionem seni, per Deum, qui neminem aliquando proiecit.* Hæc atque alia talia clamauit, suspirijs, & lachrymis intermixtis Zosimas, & ferè jam, præ lassitudine, progredi non valens. *Tunc illud corpus, quod fugiebat, vocem talem emisit: Zosima, ignosce mihi, propter Deum, quoniam manifestare me tibi conuersa non possum. Mulier enim sum, & omni corporeo tegmine nuda.* Pallium ergo petenti auersus proiecit, admiratus nomen suũ ab ea teneri. Quæ pallio inuoluta dixit: *Cur venis ad peccatricem?* Ibi ortum est pium modestiæ certamen. Nam ille ad pedes eius se abijciens petijt benedictionem; quam illa vicissim humi prostrata ab illo, tanquam presbytero, potiore se jure postulare, est protestata. Vicissim autem Zosimas contendebat, illamque, quæ ignotum nomine suo, non nisi diuinitus cognito, vocasset, gratia

pleniorem esse dicebat, cogebatque infimis & summis precibus loqui priorem. Tum illa, ita orsa est. *Quandoquidem te S. huc duxit Spiritus, ad me solandam: Dic mihi, quomodo hodie Christianissima regitur tribus? quomodo Imperatores? quomodo S. Ecclesiæ pascitur grex?* Tanta est sanctis etiam ibi, vbi hostem & bella non timent, pro communi bono, cura ac solicitudo. Quam vtinam imitarentur illi, qui inter tot tumultus, ac pericula, nunquam cogitant, ad se quoque pertinere, vt orent, vt Deum placatum reddant, bellique impetum sistant. Zosimas respondit, quod vtinam hodie, ad vnumquemque diceret: *Mater tuis orationibus sanctis pacem stabilem Deus largitus est.* Post hæc eam rogauit, vt pro mundo, proque se peccatore aliquantisper oraret; quæ ad Orientem conuersa, dum manus & oculos ad cœlum tolleret, corpore quoque toto, quasi cubitum vnum à terra est in aërem sublimis eleuata, atque tacitè orans inter cœlum & terram sine alis immota pependit, Zosimâ cohorrescente, ac denuo timente, ne spiritus esset, qui se fingeret orare, fallaciam machinaturus. Ad hæc talia cogitantem conuersa illa, *Quid*, aiebat, *cogitas, spiritum me esse, & orationem fingere? Peccatrix*

*trix ſum, ſacro tamen baptiſmate initiata, & non ſpiritus, ſed fauilla, & cinis.* Cum dicto, crucem manu ſacram fronti, oculis, labijs, pectori impreſſit; Stygiumque hoſtem procul faceſſere iuſſit. Quod vbi vidit Zoſimas, rurſum ante eam proſtratus, per Deum è Virgine natum, eam ſanctiſſimè obteſtatus eſt, vt panderet ſibi, quæ, & vnde nam eſſet, & quando, vel ob quam cauſſam, ſolitudinem illam, tanquam Nephalium lignum inhabitaſſet? ſe enim & fructum inde reportaturũ, & idcirco à diuinâ Prouidentia illuc videri miſſum, vt illius vita ſibi & toti in exemplũ mundo manifeſtaretur.

Hæc dicentem mulier, manu ſub cubitum eius leniter ſubiectâ, de terra leuauit, atque in hunc modum cœpit præfari. Verè erubeſco, Pater, quia erubeſcenda feci; itaque infanda, vt ſi narrare cœpero, caſtis tuis auribus non ſis toleraturus. Sed, ad me in ruborem dandam, recenſebo meas inſanias; atque, vt tu pro me Numini ſupplex fias, hîc confitebor flagitia mea, ne, in die judicij, à miſericordia eius repellar. Ad hoc exordium ſene illachrymante, ita poſtea perorauit: *Ego, Pater, patriam quidem Ægyptum habui, bonis parentibus oriunda. Sed paruulam adhuc Sire-* VIII. ÆGYPTIACAE MARIAE IMPVRA VITA.

*nes deceperunt, traxeruntq́; in turpes voluptates. Annum ætatis duodecimum agebam, quando, viuentium adhuc parentum amore ſpreto, ad noxiam aſpiraui libertatem. Itaque ab illis me proripui, & Alexandriam veni. Ibi, heu, in quos non ſcopulos incurri? Neq; ſatis fuit, naufragium feciſſe virginitatis. Primus caſus initium fuit inſatiabilis cupiditatis. Neq; corpus meum, lucri cauſſa, proſtitui, vt aliæ ſolent meretrices, ſed immenſæ libidinis furore incenſa, vt plures in ſcelus allicerem, etiam à mercedem dare volentibus, nihil accipiebam; potiusq́; mendicatò viuere, aut colu vitam volebam ſuſtentare. Ibi decem & ſeptem, & eò ampliùs annos, in hoc luxuriæ ſterquilinio, me volutaui; neq; vllam prætermiſi occaſionem, qua alios poſſem, in hoc barathrum præcipitare. Talis dum eſſem, vidi Libyorum & Ægyptiorum turbas cateruatim ad littus maris excurrentes. Et, quia, inter multos, ſemper amabam eſſe, quæſiui ex obuiis, quonam properarent? à quodam igitur intellexi, eos Ieroſolymam tendere, ad ſacroſanctam Chriſti crucem deuenerandam, cuius celebritas in proximo eſſet.*

Cognoſcite hîc, peregrinationes ſacras, in diuinis litteris laudatas, & alioqui vtiles, ſæpe tamen, peſſimâ mente ſuſcipi, multoſque, per ſpeciem pietatis, libidinem quærere, &, dum

dum *multùm peregrinantur, rarò sanctificari.* Nam & hæc mulier, tempore sacro, & voluntate sancta, ad Redemtionis nostræ terram ituris se admiscuit, voluntate minimè sanctâ: cumque neque viaticum, neque naulum haberet, tamen nauim audacula conscendit, se ipsam pro naulo traditura, & multos blanditijs irretitura. Hæc mens erat peregrinantis. Numquid meritò S. Hieronymus dixit? *O ignis infernalis luxuria! cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna.* Huc & ista mulier tendebat, quæ non ardebat ipsa duntaxat, sed etiam incendium in alios propagabat, nihil omittens eorum, quæ inter *opera tenebrarum* numerantur. In naui, quos sermones iecerit, quæ opera exercuerit, ipsa fassa est Zosimæ, à se neque præ multitudine numerari, neq; præ turpitudine exprimi posse. Nam iuuenari assueta in primis vectores ad risum & iocum, postea ad scelus induxit, omnium facinorum non iam discipula, sed magistra; etiam diu nolentes tandem compellens ad peccandum. Quibus prolixiore questu & lamentabiliter narratis, adiecit: *Ego quoties itineris illius reminiscor, obstupesco, quo*

Rom. 13. 13.

pacto meas tunc mare sustinuerit impuritates, aut cur terra dehiscens me cum naui & ipsis aquis

1. Tim. 2. viuentem non in infernum demerserit. Sed nimirum, meam Deus, qui neminem vult perire, sed omnes saluos fieri, expectabat pœnitentiam. Non

Ezech. 18. enim vult mortem peccatoris diu tergiuersantis. Ierosolymam vbi peruenimus, ante festum; per eos interim ego dies, præter iuuenes cum quibus nauigaui, multos ciuium, multos peregrinorum seduxi. Tantùm vna mali potest femina, si mala est. Ita quidem tunc, in loco sancto, impiè vixi, & eos, qui pietatis caussa venerunt protraxi ad impietatem. Quin ipsa quoque in festiuitate exaltatæ S. Crucis, videns, primo diluculo, vndique, plenis vijs, ad templum fieri concursus, cucurri & ego, non oratum, sed vt satiarem oculorum curiositatem, & aspicerem, quod concupiscerem. Veni in atrium templi, veni ad ipsam vsq; ianuam, & populo confertim ingrediente, sola ingredi non poteram, quantumuis luctarer, occulta vi mihi obsistente, ac me retro agente; adeò vt me repulsam vsque in atrium solam stantem animaduerterem. Cùm autem existimarem id mihi ob muliebrem contingere infirmitatem, denuo mihi vim intuli, denuo in templum eniti tentaui. Sed denuo frustra, diuinaq; manu procul inde reiecta. Mirabar autem id mihi soli accidere, cùm ceteros

*ros viderem, sine vllo impedimento admitti. Hoc terq́ quaterq́ conata, terq́ quaterq́ sum exclusa.* Quod, quàm multis contingeret, si Deus, ad omnes templorum fores, sicut olim *collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atq; versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ,* ita & hîc apponeret Angelos excubitores? Sed certum est, tales esse custodias, ne immundi in cœlum intrent. *Quia iniqui regnum Dei non poßidebunt: neque fornicarij, neq; adulteri, neq; molles, neque masculorũ concubitores:* nisi pœnitentiam agant, ad quam eos diuina bonitas magnis vocibus vocat. Gen. 3.24 1. Cor. 6. 9.

IX. ÆGYPTIACAE MARIAE CONVERSIO ET POENITENTIA.

Matres, vt sui desiderium excitent, sæpe à se liberos repellunt, seque abscondunt, neque sinunt videri. Ad harum morem, Deus sæpe hominem repellit, manuque subducta, sinit sentire, quid sit à cœlo esse derelictum. Qua de caussa beneuolè orans Dauid ait: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Multi enim tum demum in se verè descendunt, postquam intelligunt, quantum à Deo Deique vijs descenderint, quantumque & quàm meritò ab illo contemnantur. Itaque & mulier illa, in ipsis templi foribus, toties repulsam passa, & vi com- Psal. 82. 17.

primentium turbarum in templum intrare contendentiũ fatigata, vbi de templi ingressu desperauit, tristis ad quendam atrij angulum recessit, cogitareque secum cœpit, cur alijs admissis ipsa adeò prodigiosè, ab intuendo viuifico S. Crucis ligno, arceretur? Neque longa opus erat indagatione caussæ, illico se se illi offerebant plenę ingentium scelerum cateruæ. *His nimirum*, aiebat, *& templum, & cælum mihi clauditur!* In fletus itaque vberrimos diffusa, pectus cœpit tundere, suspiria ex imo pectore petere, & eiulans se ipsam detestari. Quod dum faceret, fortè factam dædalè Dei Genitricis statuam, præ templi foribus in sublimi stantem, vidit. Vidit, & in hæc verba erupit. *O Dei Mater, ô Virgo immaculata, scio quam indigna sim te compellare, quàm digna à te reÿci, ob tot abominanda facinora; quia tamen audiui, Deum ob hoc hominem factum, quem genuisti, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam, rogo te, omni alia ope destitutam adiuua, & aditum mihi ad Ecclesiam impetra, vt conspecta crucis arbore, in qua Filius tuus pro me sanguinem fudit, seculo, & omnibus, quæ in eo sunt, meæq; conscelerata consuetudini renunciem, eoq; egrediar, quò me ipse jusserit.* Dixit, & fidei calore incensa ad Misericordiæ Matrem se

conuer-

conuertit, diuinæque clementiæ ſpe pleniſſima ſacræ ædis aditum denuò tentauit. Nec iam diu fuit laborandum. Remora omni ſublata, liberè, & ſine impedimento intrauit. Ita & templi, & *cæli ianuam* anguſtam experta, poſtquam admiſſa eſt, adhuc ingenti formidine trepidans, in terram, ante depictam B. Virginis Dei Matris imaginem ſe ſe proſtrauit, oſculiſque pauimento mille impreſſis S. Crucis ligno debitè adorato, Deiparam ſic eſt allocuta. *Tu, ô benigniſſima Domina, ſemper quidẽ miſericordiæ tuæ fontes aperis, ſed nunc maximè in me declaraſti, quàm magnum ſis refugium peccatorum; per te enim omnipotens Deus peccatores ad pœnitentiam recipit. Non poſſum diuinæ bonitatis tuæ miſericordiæ Oceanũ eloqui. Vidi gloriam, quam peccatores meritò non videmus, gloriam omnipotentis Dei maximos etiam peccatores recipientis. Sed quid moror? tempus eſt recipiendi, & eundi, quò tu jubes, ô Mater, ô ſalutis meæ dux, Maria.* Hæc orans vocem neſcio vnde viciſſim audiuit, quæ eam iuſſit vltra Iordanem tranſire. Extemplo ſurrexit, &, non ſine multo fletu Deiparæ imaginem, aſpiciens exclamauit: *Domina, Domina, Regina totius orbis, noli me derelinquere.* Hoc vltimum Vale Virgini dixit, & è templo

plo receſſit. Exeunti ex atrio quidam ignoti vultus tres nummos dedit, quibus illa totidem panes coëmit, & ſub ſolem adhuc occaſum ad templum S. Io. Baptiſtæ Iordani fluuio adſitũ venit, in quo multis miſtas lachrymis preces obtulit, & SS. Eccleſiæ Sacramentis munita, in alteram fluminis partem delata, Matrem Dei denuo ducem itineris expetijt, atque illa ducente in eam, de qua diximus, ſolitudinem peruenit. In qua quid egerit, ipſa Zoſimæ enucleata narratione expoſuit. 1. In ea ab omni hominum conſortio ſeiuncta, nullaque vnquam humanâ faciè aſpectâ, conſtantiſſimè permanſit. Nam ſecundò non permanſit vno duntaxat, aut octo diebus, vt illi ſolent, qui colligendi animi ſui cauſſa ſecedunt; ſed ad ſeum vſque diem, ſcilicet quadraginta ſeptem integris annis. 3. Quia, eo die, quo SS. Euchariſtiam ſumſerat, dimidium panem comedit, duos tantùm & ſemis habuit reſeruatos, eoſque lapidis inſtar ſolidiſſimè induratos, ijs, ac herbulis tempus omne reliquum vitamque traduxit. 4. Quoniam autem à juuentute delicijs ciborum, ac vini pretioſioris potui, floriſque nectaris, vſque ad ebrietatem dedita, & femina Ægyptia Græco more bibere con-

consueta erat; à vino in Venerem inflammata, probè experta est, cur dixerit Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria;* aut quamobrem, apud Romanos, non leuiùs in feminâ temulentia, aut vini vsus, quàm adulterium, sit punitus. Neque à vinolentia in vagas libidines duntaxat est prolapsa, sed etiam (vt multi exercitati alioqui Religiosi gastrimargiæ vitio tentantur) in ipsâ solitudine, ab Apicijs, & Trimalcionis penu remotissima, per totos septendecim annos, grauissimas secum ipsa identidem pugnas coacta est depugnare. Desiderijs belluinis æstuabat. Iam aues, iam pisces, quibus Ægyptus abundat, iam alia tragemata & ipsæ Sybariticæ mensæ ante oculos illi versabantur; jam vini sibi Græci, jam Hispaniensis videbatur dulcedine permulceri; cuius hauriendi cupiditate pœnè rumpebatur. Plato generosum conspicatus adolescentem, patrimonio consumto, ad fores pandochij panes edentem, & aquam bibentem, vt Maximus refert, in hunc eum modū est allocutus: *Si sic moderatè prandisses, nunquam sic cœnares.* Ad eundem modum hæc mulier, nunquam tanta se fame tantaque siti cruciasset, neque verò tam vehementes passa esset tentationes,

Ephes. 5. 18. Gell. lib. 10. c. 23. Valer. Max. l. 2. c. 1. Plin. lib. 14 cap. 13. Tiraq. de legib. cō-nub. l. 9. n. 54.

Obżarstwo

nisi

nisi priùs cibo potuque excessisset. Inediâ igitur crapulam, temulentiam siti castigauit. 5. Accessit, quòd in æstiuo sæpè solo, & aridis locis, nec aqua quidem suppetebat. Vnde, exustis faucibus, sitique tristissimâ pœnè extabescebat. 6. Quodque magis mirum, inter has corporis tam seueras afflictiones, ingenti desiderio vexabatur modulandi turpes cantilenas, quibus antehac assueuerat. Quam tamen tentationem pellebat, cùm in memoriam reduceret, se stare ante B.V. imaginem, coram quâ in scelerum suorũ cognitionem venit, ac summo mentis ardore sibi ipsa decreuit seriam vitæ pristinæ emendationem: simulque eandem Dei parentem rogitauit, vt fœdas illas afflictæ cogitationes procul effugaret. Quibus precibus modisq; & petulantes carnis vicit insultus, & mirificam quandam sensit menti infundi lucem. 7. Quanquã, non posse à se enarrari dixit, quantis ignibus succensa identidem exæstuârit, cogique se propemodum putauerit in assuetas olim relabi voluptates. Semper tamen vicit, quia semper humi prostrata Virginum Virginem in auxiliũ vocauit; lachrymis simul furorem extinguens corporis spiritui rebellantis. Et hoc quidem per 17. annos, vt dixi.

dixi. Quanquam autem poſtea vehemens ille furor deſæuijt, non tamen fuit vitium hoc penitus debellatum. Bellum vſque ad vitæ finem durauit de reliquijs inueteratæ conſuetudinis gliſcens. Tantum ſibi laboris parit, vt extricetur, qui in hoc ſe lutum immergit. 8 Interrogata autem à Zoſima, de cibo, deque veſtiendi genere, reſpondit, duos illos ſibi panes cum dimidio, per 17. annos ſuffeciſſe, poſtea herbis duntaxat ſe vſam: has ſibi fuiſſe Saliares dapes. 9. Veſte conſumta, affirmauit ſe, incredibile, per hyemes, cœli frigus, intolerandos, per æſtatem, ſolis ardores paſſam, ac ſæpe propemodum aſſatam ac concrematam fuiſſe, certè exanimem nonnunquam diu, ac ſine ſenſu iacuiſſe. Vnde & Illyrica pice nigrior eſt effecta, cuti contracta, & ſanguine ad extima corporis vocato. 10. Ceterùm mirè ſe roborari ſenſit, quoties recordabatur, quantis vitæ, quantis animæ periculis erepta eſſet; & quòd *non in ſolo pane viueret homo.* Ita enim & ſcripturas exactè recitabat, quæ Zoſimæ faſſa erat, litteras ſe nunquam didiciſſe. Longè verò etiam alia prophetico ſpiritu perſpicuè cognouerat; nam poſtquam orationes eius expetijt, rogauit inſuper, ne ſequente anno,

iuxta

iuxta Cœnobij sui canonem, tempore quadragesimæ Iordanem transiret, sed pridie Dominicæ cœnæ, sub vesperam, ad Iordanem SS. Eucharistiam afferret, se enim ad eum vsque diem, ex quo in S. Ioannis Baptistæ templo corpus & sanguinem Christi sumpsisset, sacro illo ferculo caruisse; & cupere eum dié colere, quo Christus discipulos corporis sui sanguinisque participes fecisset. Iussit prætereà Zosimam arcana quædam Abbati suo significare, quæ in illius monasterio lima atque emendatione indigerent.

X. MARIAE ÆGYPTIACAE POENITENTIAM IMITANDAM ESSE.

Quibus omnibus ordine auditis, Zosimas pronus illum terræ locum osculatus est, in quo pedes illius mulieris tam sanctæ vestigia reliquerunt; reuersusq; ad monasterium suum Deo laudes gratiasque dixit, quòd sibi ostendisset, quantum adhuc à peccatricis illius, ne dum ab alterius innocentis perfectione in eum diem abfuisset. Iamque humilior factus, sibi suique similibus dictum agnouit in remedium superbiæ: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* (Matth. 21. 31.) Quòd si tantus tamque asperæ vitæ vir à Maria Ægyptiaca, (ista enim fuit hæc mulier, cuius hodie Natalis agitur) didicit opera pœnitentiæ, & meliorem à cibo

potuque abstinendi, corpusque exercendi, & peccata deflendi rationem; quid nos discere oportet? *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissiùs erit, in die judicij, quàm vobis.* Consumitis tempus & annos, in omni vanitate, superbia, luxu, cupiditate, odio, & intemperantia, & cœlum speratis? Cur? quia ista omnia confitemini? non satis est. Si vultis Deum placare, *facite fructum dignum pœnitentiæ. Quo autem modo,* ait S. Chrysostomus, *fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduersa faciamus. Aliena rapuisti? Incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conuicijs, & percutientes te nunc officijs, nunc ètiam beneficijs placare contende. Neq; enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiã remedia adhibere vulneribus. Delicijs antè, & temulentia diffluebas? ieiunio, & aquæ potu vtrumque compensa, vt famem superes imminentem. Vidisti impudicis*

Matth. 11. 21. Luc. 10.

Matth. 3.

S. Chrys. in Matth. hom. 10.

*alienum decorem oculis? feminam iam omnino non videas; maiore tactus cautione, quò tutior post vulnera.* 1. Itaque, qui peccata sua sacerdoti confessus est, & certam plenamque peccatorum absolutionem obtinuit, sublata suppliciorũ æternorum obligatione, cui obnoxius erat, tamen illud meminisse debet:

Eccli. 5, 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu:* restat enim plerumque temporaneæ cuiusdam pœnæ debitum, vel in hac, vel in altera vita dispungendum. Nam per absolutionem pœna æterna in temporalẽ mutatur. Qua de caussa sacerdos satisfactionem iniungit pœnitenti clauium potestate. Et *procuìdubio magnopere à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresq; & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* (Concil. Triden. sess. 14. c 8.)

Luc. 7. 49. Numquid Christus Magdalenæ dixit: *Remittuntur tibi peccata?* Et tamen quantam illa pœnitentiam egit, in omni vita? Multi eam etiam peccatis superant; sed pœnitentiâ non æquant. 2. Ah quid dico? æquant? Ecclesiæ jeiunia non seruant; nulla in re sibi ipsis sunt duri; delicias in cibo & potu quærunt; collum sibi gruis optant, vt esculentis & poculentis tantò impensiùs, quantò diutiùs oblectentur; & cibum eò suauiorem iudicant, (Ælian. l. 10. var. hist. c. 9.)

quò

quò maiore ſciunt precio emtum: omnia genio indulgent: cuticulam ſemper curant, quam alij flagris lacerant; cuncta opera pœnitentiæ fugiunt; ſolitudinem, orationes, meditationes, ieiunia, cilicia, humicubationes oderunt, vt anguem. 3. Quid hæc commemoro? Olim graues & certæ ſatisfactiones, iuxta canones pœnitentiales, imponebantur, & ad pœnitentis bonum, & ad Eccleſiæ ædificationem. Nam Tertullianus, Chriſtianorum in primitiua Eccleſia deſcribens pœnitentiam, teſtatur, extra Eccleſiam ſolitos ſtare, in lugubri veſte, ſacco & cilicio indutos, & cinere caput conſperſos. Et primo quidem die Quadrageſimæ, tondebantur viris pœnitentibus crines; qui nullis conuiuijs poterant intereſſe, non balnea adire, nec equitare, nec adeſſe ſpectaculis, ac honeſtis etiam recreationibus ſibi debebant interdicere; immo, quàm diu in numero pœnitentium erant, Sacramenta eis non adminiſtrabantur, niſi in Paſchate, aut morte; immo & tunc carebant extrema vnctione. Quæ ſatisfactio, juxta grauitatem, aut multitudinem peccatorum, breuior aut longior erat. Immo, ob quædam peccata trium, quinque, ſeptem, aut decem annorum, in cilicio, ieiu-

Vide Bellarm. t. 2. Contr. lib. 1. de Pœnit. cap. 21. & 22. Tertul. lib. de Pœnit. optat. lib. 2.

nijs, & oratione prolixa, iniunctam fuisse pœnitentiam ait. Mira sunt, sed nimis longa, quæ Climacus de pœnitentibus refert. Nec plebeij tantùm, sed Principes & Reges eiuscemodi pœnitentias subierunt. Theodosius Imp. Thessalonicæ, ob vnius ex aulicis, in populari tumultu, occisi necem, ira excandescens, specie spectaculorum exhibendorũ, ciues, ad septem millia, in vnum locum congregatos occidi iussit. Ob quod factum à S. Ambrosio, integro ferè anno, à communione fidelium remotus, templorum aditu prohibitus, & alijs pœnitentiæ actibus exercitus, non antè in gratiam admissus est, quàm palam humi prostratus, ab omnibus veniam crudelitatis postulasset. Otho Cæsar, ob vnicum homicidium, Româ ad Garganum vsq; montẽ, nudis pedibus tetendit, & tota Quadragesima, in Cœnobio, inediâ, cilicio, humicubatione se afflixit. Quid æquum est, nos facere? immo quid multi faciunt? leuissimis pœnitentijs à Confessario impositis indignantur, eas differunt, omittunt; ad alios Confessarios currunt, & permutari cupiunt. Quid potest imponi æquale peccatis æternũ ignem promeritis? Quid sunt opera nostra omnia, quid modus satisfaciendi, si cum Magda-

Climac. grad. 5. Niceph. li. 12. hist. Eccl. cap. 40. Carol. Sigon. de Occid. Imp. l. 9. Baron. An. 390.

Ribad in vita S. Romualdi 7. Febr.

Magdalenis, cum Maria Ægyptiaca, cum S. Petro, cum Dauide comparentur? opera per quæ satisfit, & grata Deo esse debent, & quãdam habere difficultatem. Si enim per illa placandus est Deus, debent illi esse accepta, atque in eius honorem cedere: & quia per eadem puniendus est peccator, ac peruersitas prauæ conuersionis ad creaturam vindicanda, necesse est, vt habeant aliquam molestiam. Quo modo igitur satisfacient, qui molestiam nullam patiuntur? Cur quidam de pœnitentia sibi imposita conqueruntur? Cur ipsi non illã augent? cur non petunt à Confessario maiorem, cùm à Confessario iniuncta maioris sit meriti, tum ex obedientia, tum ob vim, quæ illi ex Sacramento & meritis Christi accedit. Accedit quoq; jeiunio & abstinentiæ quadragesimali nõ tantùm temperantiæ, sed etiam obedientiæ meritũ. Ideò enim lex statuitur, vt parcamus; ideò prohibetur cibus, vt restringatur appetitus. Quia, vt S. Gregorius ait: *Non cibus, sed appetitus in vitio est: vnde & lautiores cibos plerumq; sine culpa sumimus, & abiectiores, non sine reatu conscientiæ degustamus.* Et, vt S. Bernardus ait: *Melius est exiguo sanguine ad vsum vesci, quàm ventoso legumine vsq; ad ructum exaturari; præcipuè*

S. Greg. lib. 30. Moral.

S. Bernar. in Apolog.

*cipuè cùm & Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus; & de ligno Adam, non de carne damnatus: & Ionathas de gustu mellis, non carnis, morti adiudicatus. E contra verò Elias innoxiè carnem comedit, Abraham Angelos gratissime carnibus pauit, & de ipsis sua fieri sacrificia Deus præcepit.* Atque inibi idem S. Pater ait: *Paulus Timotheo Modicè vino vtendum consuluit: & Dominus ipse bibit, ita vt vini potator appellatus sit, Apostolis quoque bibendum dedit. Insuper ex eo Sacramentum sui sanguinis edidit.* Non ergo creatura contemnitur, quando certo cibo potuuè abstinetur, quibus vsos sanctissimos viros constat; sed vel obedientia attenditur, vel ingluuies stringitur, vel peccatum expiatur. Et sanè, si contraria contrarijs sunt curanda, rectissiimè gulam inedia, & sobrietas corrigit ebrietatem. Quamobrem & Ægyptiaca Maria meminens se saturitati lasciuiam iunxisse, ieiunijs & abstinentia vtrumque vitium castigauit. At tu fortasse, qui hæc audis, non putas tua peccata, peccatis huius mulieris paria esse? Fortasse sunt etiam maiora. Sed esto sint minora. Qui animam suam æstimant, etiam ob parua delicta magnas pœnitentias subierunt.

Sur. 5. Iupij. Victorinus, ob vnum concupiscentiæ motum admis-

admiſſum, à diabolo deceptus, per tres annos, fiſſa arbore manus ſtrinxit. Arbori crucis, & continuæ pœnitentiæ nos aſtringamus, tunc merebimur morte beatâ Mariæ Ægyptiacæ obire.

XI. MARIAE ÆGYPTIACAE MORS, ET EXEMPLVM VINCENDI TENTATIONES CARNIS.

Ad quam, vt, cum S. Euchariſtia, poſt annum, dicto die, rediret Zoſimas, morbo, ex illius prædictione, detentus eſt, ne ante tempus è cœnobio, cum ceteris, exiret. Exiens autem, deſtinato die, vidit illam, ſigno crucis facto, ſiccis veſtigijs, per Iordanem, ad ſe venire; ſumtaque ſacra communione, iterum prodigiosè calcatis aquis redire. Quã anno ſequente, eódem rebitans defunctam inuenit, aſcriptâ in pulueribus epigraphe, qua eam iubebatur ſepelire. Et ſepeliuit, ſed, leone terram duritia ſenis vires ſuperantem effodiente. Ita Deus ſanctis Angelis quoque, in manus tradit mortuos, qui in Domino moriuntur; ſicut Zoſimæ tradidit Mariam pœnitentem: quæ tametſi alia mira multa fecit, illud tamen inter maxima debet non illius, ſed aliorum mira numerari, quòd plures habeat luxuriæ ſuæ, quàm pœnitentiæ imitatrices ac imitatores. Si ſapitis, ô peccatores, & peccatrices, Dei (etiam meretrices, & adulteras, & fornicarios ad gratiam recipientis)

Cælius l. 6, c. 26. pientis) bonitatem ne contemnite, nec quod deterius eſt, ſed *meliora chariſmata æmulamini.* T. Lucetius poëta Phyſicus ſumto amatorio poculo in furiã lapſus eſt, qua impellente, mortem ſibi conſciuit. Furunt profectò multi, ad eundem modum, qui, cùm per pœnitentiam viuere poſſent, mortem ſibi ipſis procurant ſempiternam; qui furor eſt omnium inſaniſſimus. Furunt enim amore feminarum, & odio ſui. Quem Cypridis amorem pabuli ſubductione, jeiunijs, humi cubatione, vigilijs, fame, ſiti, cilicijs, flagellis, omniq́ue corporis caſtigatione, quando audiunt ab alijs extinctum, non ſapere eos aiunt, ipſi inſipientes aliquando dicturi: Sap. 5. 4. *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Quin, tanquam oleum flammæ, ita vinum luxuriæ nutriendæ affundunt, Paulo clamante: Eph. 5, 18. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Paruo gradu diſtant ebrij, & furioſi. Quod ſi etiam accedat libidinis flamma vino accenſa, jam bis ligatâ mente ventri ac dæmoni ſeruiunt, inſtar mancipiorum. Siquidem prima, ad hanc ſeruitutem ſignificandã, ſeruitus per vinum in mundum eſt inducta. Tunc enim primò ſeruitutis nomem legitur in diuinis litteris, cùm generis humani ſecundus

dus parens Noë, ad vindicandam Chami filij sui impudentiam, eius filio huiuſcemodi verbis maledixit: *Maledictus Chanaan ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis: Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitq́; Chanaan ſeruus eius.* Quod agnoſcunt & SS. PP. *Manebat antè, quàm vinum inueniretur, omnibus inconcuſſa libertas,* ait S. Ambroſius, *nemo ſciebat à conſorte naturæ ſuæ obſequia ſeruitutis exigere; non eſſet hodie ſeruitus, ſi ebrietas non fuiſſet.* Quod & D. Auguſtinus tradit, cuius hæc ſunt: *Conditio ſeruitutis iure intelligitur impoſita peccatori: proinde nuſquam ſcripturarum legimus ſeruum, antequã hoc vocabulo Noë iuſtus peccatũ filij vindicaret: nomen itaq; iſtud culpa meruit, non natura.* Si vini exceſſus in patre poſteris occaſionem fecit, vt ſeruituti addicerentur, & vel hac de cauſſa nobis attendendum eſt, ne excedamus; quantò magis, ſi nos facit ſeruos peccati, mancipia diaboli, & filios gehennæ? Rectè ergo ſapiunt, quibus aqua plus ſapit, qui cum Maria Ægyptiaca crapulam inediâ, conuiuia ieiunijs, luxuriam vitæ aſperitate caſtigant. Deſipiunt, qui cum diuite epulone *induuntur purpura & byſſo, & epulantur quotidie ſplendidè;*

Gen 9.25.

S. Ambr. lib. de Helia & ieiunio cap. 5.

S. Auguſtin. l. 19. ciuit. c. 15.

Luc. 16. 19

transſibunt enim de byſſo ad Orcum, de purpura ad flammam, de epulis ad ſitim nec vnicâ guttâ aquæ refrigerandam. Quæ qui ſeriò expendit, næ ille pœnitentiæ opera, præ illis ſupplicijs cenſet millies eligenda, tantóque magis, ſi eum voluptas ſubuertit; quia, teſte S. Hieronymo, *omne peccatum poſt factum pœnitentia ſequitur: ſola voluptas, in ipſo pœnitentiæ tempore, præteritos ſtimulos patitur, vt ex hoc, quod corrigere cupimus, rurſus ſit materia delinquendi.* Adeò circumſpectè eſt hoc bellum gerendum. Quare ſeduli animæ ſuæ cuſtodes, vel primã Cupidinis cogitationem, tanquam ignem in manum incidentem excutiunt, horrentque. Nemo diu vel ſcintillam in veſtem, aut faciem inſilientẽ ſuſtinet, ſed illico abſtergit, vel excutit; quia vel minimâ morâ nocet, vritque. Ita turpis cogitatio, ſi non ſtatim eijcitur, ſtatim incendit.

S. Hieronym. ad Amantium.

Valentinianus & Valens antè, quàm imperio potirentur, impij Iuliani in aula pij Chriſtianique fratres, inclyti militiæ duces, multa conſtantię & fortitudinis exempla ediderunt, honores, patriam, vitam priùs, quàm fidem relinquere parati. Horum vnus Valentinianus Iouinianæ legionis dux aliquando Iuliano Imperatori præſens, dum ſacrificulus, in

Socrat. lib. 4. c. 1. Niceph. lib. 11. c. 1.

in fano, idolis immolaret, Iulianumq; vuidis folijs aſpergeret, vbi animaduertit, vel vnicam idololatricæ aquæ guttam Imperatori deſtinatã ſibi in veſtem delapſam, vehementer iratus popam, coram Iuliano, aſperis verbis accepit, atq; educto gladio particulam illam ſacrilegâ guttâ contaminatam, è veſte ſibi excîdit, atque abiecit. Ob quod factum ab Apoſtata in exilium miſſus, quaſi de victoria triumphauit. Et vera ſanè illa victoria fuit. Vtinam ſic omnes abhorrerent & excinderent aſperſas in pectus Venereas cogitationes, tantò deteſtabiliores, quantò plus eſt, mentem quàm veſtem habere maculatam! Non tamen cogitationes tantùm eiuſcemodi ſunt abſcindendæ, ſed ipſa etiam ſemina malarum cogitationum. Epulæ lautiores, & potus vini, ventriſque ſaturitas ſeminarium ſunt libidinis. Nec veſtium mollities aut ſplendor oculos aſpicientium faciunt caſtiores. Et tamen harum rerum maximus eſt tunc vſus, quando diebus feſtiuis Deum maximè par eſt venerari. Ille precibus ſacris, eleemoſynis, operibus pœnitentiæ honoratur; vino, dapibus, ſaturitate & ebrietate Bacchus & Venus coluntur. Quod Ariſtippus ſalsè luxum ſuum excuſans perſtrinxit.

Cùm

Laërt.l.2. cap. 8. *Cùm enim quidã illi probro darent, Quod ſplendidè exquiſiteq́; viueret Philoſophus: Id, inquiebat, ſi vitium eſſet, in celebritatibus Deorum, nequaquam fieret. In his enim & magnificè veſtiri, & lautiſſimo ciborum apparatu ſolent vti. Porrò cùm Dij ſint infenſi vitijs, non placarentur, ſi irritarentur eiuſmodi magnificentia, ſi ea cum vitio eſſet coniuncta. Sic ille quidem eluſit conuitium, non oſtendit, quid eſſet optimum.* Optimum eſt, optimum Deum, moribus optimis venerari. Qui autem dies ſacros, pontificalibus epulis comeſſationibuſq́; profanant, non ſolùm duplici ſe modo contaminant, & bona negligendo, & mala patrando, ſed etiam oſtendunt, ventrem ſe pro ſuo Deo adorare, ac Veneris pupillos mancipiaque eſſe, quæ ſine Cerere & Baccho friget, mererique morbos, quos ſua intemperantia efficiunt, Idem l. 6. cùm & Diogenes ſtomachatus ſit in eos, qui pro bona valetudine Dijs munera offerrent, & in ipſo ſacro omnibus voluptatibus ſe obruentes perderent. Parum autem eſſet, ſi corpus duntaxat perderent, jam etiam animam perdunt in gehennam, æternam cum Epulone ſitim paſſuri. Innocen. de vilit. con. hum. *Gula Paradiſum clauſit*, ait Innocentius, *primogenituram vendidit: ſuſpendit piſtorem, decollauit Baptiſtam. Nabuzardan*

*zardan princeps cocorum templum incendit, & Ierusalem totam euertit. Baltasar manum contra se scribentem aspexit in conuiuio, & eadem nocte interfectus est à Chaldæis.* Quot vel nostro tempore, audiuimus inter Capitolinas dapes animã efflasse? Itaque multi etiam, in hac vita, suamet auiditate edendi atq; potandi haud ambiguè grauiter puniuntur. Quod vel Socrates animaduertens, dicere solebat, eos, qui se ad continentiam ac frugalitatem exercuissent, & longè plus habere voluptatis, ac minus dolorũ, quàm qui summa cura vndiq; pararent oblectamenta: quòd voluptates præter intemperantiam præter animi sibi malè conscij cruciatum, præter infamiam ac paupertatẽ, frequenter ipsi etiã corpori plus adferant molestiæ, quàm delectationis. Contra, quæ sunt optima, eadem fiunt iucundissima, si quis assueuerit. Rectè igitur frugalis vita Alcinoi mensis, luxus Tantali hortis cõparatur. Vt nautæ nimium onerantes nauẽ, deinde in exhaurienda sentina laborant: ita qui corpus onerant cibis, ac deinde clysteribus inaniunt. *Tale est in ventrem cibos mittere,* ait S. Chrysostomus, *quale si quisquam eos in cloacam proijceret. Magis autem non tale, sed multo peius: hic enim fimum operatur, sine tua læsione,*

Laërt. l.2. cap. 5.

S. Chrys. hom. 29. in ep. ad Hebræos.

*læsione, illic autem plurimos morbos, plurimasq́; procreat ægritudines. Quod facit fames, hoc facit & plenitudo ciborũ; magis autem multò peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat ex hac vita pœnali: excessus verò ciborum consumit & putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tunc eum morte crudeli consumit. Sicut* enim, ait idem, *terra, quæ valde humecta est, generat vermes & fimos, cum compluitur, vel cùm plurimum sibi humorẽ retinet: terra verò quæ libera est ab humoribus, fructuũ fæcunditate decoratur, si ex abundantia non corrumpatur aquarũ: ac si etiã non colatur, vltro tamen gramina subministrat: si verò colatur, fructuũ fæcunditate pollebit Obsecro igitur, ne nostrum corpus vitiosum & inutile faciamus; neq; ei vitia inseramus, sed fructus vtiles, & arbusta fructuosa, ne ea dissoluamus per immoderationẽ ciborũ. Immoderatio quippe pro fructibus vermes facit. Sic insita nobis cupiditas amores turpes, & voluptates turpiores generat.* Numquid igitur præstat, cum Zosima, cum Maria Ægyptiaca, & cum tot millibus Sanctorũ corpus ieiunijs salubriter extenuare, quàm in tot huiꝰ vitæ morbos, & vitia, & alia incõmoda, & deniq; ad alendas sempiterni ignis flãmas, adipare? Vę tunc pinguibus, beatè macilentis.

CAPVT

# CAPVT VI.

# IRA, ET IRACVNDIA, IN ALIQVOT HISTORIIS, EXENTERATA.




*Non te superet ira, ut aliquem opprimas.* Iob. 36. 18.

## *PARS PRIMA.*

IRAM, Aristoteles docet, esse *accensionem sanguinis circa cor;* alij *appetitum vindictæ;* completiùs tertij vtrumque coniungunt, aiuntque, *iram esse, sanguinis inflammationem, circa cor, propter appetitum vindictæ; seu cupiditatem puniendi eius, à quo se quis læsum arbitratur.* Hæc cupiditas

I. IRA QVID SIT, ET AN SEMPER MALA? Aristot. lib. 1. de anima.

Silu. verb. ira, n. 1. piditas, moderata esse potest, vel immoderata. Si moderata est, bona est; si immoderata, aut contra ordinem rationis, mala est, maloque asino vehitur, cui hæc ira calcar addit equitanti. Sunt nimirum medij quidam motus animorum, quibus si malè vtaris, fiunt vitia; sin aliter, virtutes erunt. *Qui peccanti irascitur, vt vitium corrigat, nihil inhumanè facit: qui iniuriam damnat, aut illatam vlciscitur, fortis hic & iustus: at qui iram non frænat, sed præceps rapitur, is immani belluæ similior, quàm homini.* Itaque, vt S. Basilius scribit, *ira, in homine, est, quod canis in domo; qui bonus est, si fures abarceat latrando; malus, si in domesticos & amicos infestus insurgat.* Irasci aliquem iustè posse, è Diogenis constat dicto, qui, cùm de non irascendo accuratè disputaret, proteruus quidam adolescens, velut periculū faciens, an dictis facta competerent, & num Philosophus re præstaret ea, quæ docebat oratione, in faciem illi spuit. Tulit id quidem æquo animo & sapienter Diogenes; dixit tamen: *Non quidem irascor, sed dubito, an irasci oporteat?* Indicauit ergo, aliquando irasci oportere. Est hæc affectio cos virtutum; est regiminis, & iusti metus radix; est nimiæ lenitatis atque indulgentiæ correctrix, est etiam inter

Sabellic. l. 9. c. 3. de iracundia.

S. Basil. orat. de ira.

Laërt. l. 6.

inter eos qui Doricè concinunt; neque discordant. Nec recti limites excedit, si in fræno teneatur. Quare illud Dauid prouidè monuit: *Irascimini, & nolite peccare.* Potest enim irascens non peccare; immo potest peccare, qui non irascitur, sed ridet, quando flenda cernit, caussamque habet irascendi. *Qui sine caussa irascitur*, ait S. Chrysostomus, *reus erit, qui verò cùm caussa, non erit reus: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur.* Si ira desit, nemo pugnabit, nemo vincet, nemo de hoste est triumphaturus, vel certè pauci. Manichæorum hæresis fuit, vsque adeò irascendum non esse, vt ne malefactores quidem occidi posse iudicarent: cùm tamen, ex actis & probatis dignum morte, à morte eximere non possit iudex. *Deus itaque qui irascitur, non in totum prohibet iram; quia is affectus necessariò datus est;* ait Lactantius: & Aristoteles: *Est maximus ad subeunda pericula aculeus iracundia.*

Psal. 4. 5. Ephes. 4. 25.

S. Chrys. hom. 11. in Matth.

Lactant. Firmian. lib. de Ira Dei. Aristot. l. 3. Ethic. c. 8.

II. QVAE IRA BONA, QVAE MALA SIT?

Stoici iram & omnes animi affectiones, tanquam malas, existimabant radicitus tollendas; vera tamen & à S. Augustino approbata Peripateticorum sententia est, motus eiuscemodi posse rationi consentaneos esse, & aduersos. Monet ergo S. Thomas, in

S. Aug. l. 9. de ciu. cap. 4. S. Thom.

22. q. 158. art. 1. quauis affectione appetitus sensitiui, duobus modis malum posse existere. Primò ex ipsa specie, seu obiecto passionis: secundò ex quantitate, seu ex defectu vel excessu illius. Ex obiecto inuidia, in sua specie, est mala; quia est tristitia de bono aliorum, quod omnino rationi repugnat: vnde, apud Philosophum inuidia semper sonat malum. Hoc autem pacto ira, generatim & ex se, non est mala, cum appetitus vindictæ & bonus esse possit, & malus; fit autem mala ira, quando ibi vindictā coquit, vbi nihil est vindicandum, aut maiorem minorémue coquit, quàm alter mereatur. Itaq; secundo modo mala esse potest ira, quando quis, etiam ibi, vbi aliquid vindicandū est, plus, vel minùs, quàm ratio suadeat, irascitur vindicatque. Qui autem iræ, juxta rationis dictamen, habenas laxat, non irascitur malè; quia illi irascitur, cui irascendum est, & tantùm irascitur, quantùm est irascendum: & ibi irascitur, vbi est irascendum. Quod non fecit Sparsus, quē Seneca scribit, inter Scholasticos insanum, inter insanos Scholasticum fuisse. Et quamuis Aristoteles tradat, *iram non perfectè audire rationem*; S. Gregorius autem, ab ira tranquillitatem mentis diuerberari, dilaniari, pertur-

Aristot. l. 2 Ethic. c. 6.

Aristot. l. 7. Ethic. c. 6.

S. Greg. 5. Mor. c. 30

perturbari, doceat: Cassianus etiam *oculos mentis excæcari* dicat; & ex D. Dionysij pronunciato, *malum animæ sit, esse sine ratione*; id tamen non est intelligendum vniuersim; sed de ira, quæ præuenit, non quæ sequitur rationem. Ira, quæ antecedit, rationem à rectitudine sua trahit, atque idcirco mala est; quæ autē sequitur rationē, bona est, à ratione enim ducitur, non seducit ipsa rationem. Sicut enim cæcus non errat à vidente ductus; errat autem videns, si à cæco ducatur; ita non deuiat ira quæ sequitur, sed quæ antecedit rationem, cuius lumen impedit, non cernit. Obest ergo ita in fermento iacere; non obest rationis ductu incalescere. Quid enim mali est, si appetitus sensitiuus, contra vitia, ex regulâ atque ordine rationis, moueatur? *Curandum summopere est*, ait S. Gregorius, *ne ira, quæ, vt instrumentum virtutis, assumitur, menti dominetur: ne quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequiū parata, à rationis tergo nunquam recedat.* Addit S. Thomas, etsi ab hac quoque ira, in executione actus, judicium rationis aliquo modo impediatur, non tamen tolli rectitudinem rationis: cùm virtuti non officiat, etiamsi, in executione eius, quod est à ratione deliberatū, deliberatio rationis

Cassian. lib. de Instit. Cænobior.

S. Greg. lib. 5. Moral. c. 33.

 inter-

intermittatur. Quemadmodum neque arti prodesset, immo actui illius impedimento esset, si, dum deberet agere, etiam de agendis deberet deliberare. Denique etsi Dominus meritò dicat: *Mea est vltio*, non tamen idcirco putandum est, illicitum esse homini omnem vltionis appetitum, solique Deo relinquendum. Tametsi enim malum est, appetere vindictam, ob malum illius, qui puniendus est; haud tamen malum, sed laude dignũ est, appetere vindictam, ob correptionem vitiorum, ac bonum iustitiæ conseruandum. In quod bonum etiam potest tendere appetitus sensitiuus; non quidem, prout *ira est feruor eius, qui circa cor est, sanguinis, vaporatione fellis, vel perturbatione fiens*, vt S. Damascenus ait; sed prout à ratione mouetur & regitur. Ita est *ira per zelum*, non *ira per vitium*, quæ sola excæcat. Immo vindicta, quæ secundùm ordinem judicij fit, à Deo fit; cuius ministra est potestas, quæ punit. Quo pacto fit, vt adhuc vltio sit Dei, quæ fit, Deo dictante, & dante potestatem.

Deut. 32. | S. Ioan. Damasc. lib. 2. de fid. c. 16. | Rom. 13.

III. EXEMPLA IVSTE IRASCENTIVM.

1. Sic iustè sancteque iratus est Moyses, contra eos, qui manna, non sine Dei diffidentia, seruauerunt in diem sequentem; & qui Ægyptio ritu vitulati, sacrilegè circa vitulum

lum saltauerunt, quando *proiecit de manu tabulas, & confregit eas, ad radicẽ montis*; itemque *contra Eleazar, & Ithamar filios Aaron*, qui videbantur non seruasse, quod præceptũ erat: & contra Core, Dathan, Abiron, & Hon rebellantes. 2. Sic zelo iusto exarsit Phinees, arreptoque pugione ingressus est ad scortatorem in lupanar, quem peccantem interfecit, & impiam voluptatem acerba morte finientem misit ad æternos cruciatus. 3. Sic Saule Dauidem lancea percutere conato, *Surrexit Ionathas à mensa, in ira furoris, & non comedit, in die calendarum secunda, panem.* 4. Sic Nathan diuitem iniquũ, &, in eo, ipsum Dauidem accusante, iustissima *iratus indignatione David aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui hoc fecit.* 5. Sic vtique ira pia dixit Elias: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio.* 6. Sic zelo bono Eliacim, Sobna & Ioahe, scissis vestibus, verba Rabsacis nunciauerunt Ezechiæ, & ipse *rex Ezechias scidit vestimenta sua, & obuolutus est sacco, & intrauit in domum Domini.* 7. Sic Ieremias iratus ait: *Cui loquar? & quem contestabor?*

Exod. 16. 20. Exod. 32. 19. Leuit. 10. 16. Num. 16. 15. Num. 25. 7. 1. Reg. 20. 34. 2. Reg. 12. 5. 3. Reg. 19. 10. Isa. 36. 22. & c. 37. 1. Iere. 6. 10.

*testabor? vt audiat? ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud. Idcirco furore Domini plenus sum, laboraui sustinens.* 8. Sic ipse Christus, *cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit.* Vnde & *recordati sunt discipuli eius, quia scriptum est: zelus domus tuæ comedit me.* Quid multis opus est? De Numinis ira veteres Philosophi accuratè disputauerunt; & reprehensi sunt vehementer Epicuræi, quòd dicerent, Deum irâ non tangi. In diuinis sanè litteris luculentæ historiæ diuinam iram, vtiq; bonam & iustam descripserunt. Ibi, irato Deo, diluuiũ Mundo est inductum; orta linguarum confusio; Sodoma sulphureo igne in fumũ versâ; Pharao, cum toto exercitu, post multas totius Ægypti plagas, quasi plumbum submersus; sexcenta sunt exempla; & omnis pœna hominis, est ira Numinis. Si Numinis, ergo bona; quia in optimo nihil potest esse mali; nec quidquam in perfectissimo immoderati. Ipse Saul, cùm intellexisset, Ionatham paululum mellis, contra patris adiurationem præceptumque, etiam nescientem gustauisse,

Ioan. 2. 15.

Gen. 7. 17.
Gen. 11. 7.
Gen. 19. 24
Exod. 7. & seqq.

1. Reg. 14. 44.

justitiæ zelo exardescens dixit: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* Et ille Ionathas, qui, eo ipso tempore, *fecit salutem magnam in Israel.* Apud Ethnicos, *par Romulo gloria L. Brutus, quia ille urbem, hic libertatem Romanam condidit: filios suos Tarquinij dominationem à se expulsam reducentes, summum imperium obtinens, comprehensos, proq; tribunali virgis cæsos, & ad palum religatos, securi percuti iussit. Exuit patrem, ut Consulem ageret: orbusq; viuere, quam publicæ vindictæ deesse maluit. Nec minùs animosè A. Fuluius vir senatorij ordinis, euntem in aciem filium retraxit, quàm Scaurus è prælio fugientem increpuit. Namq; iuuenem & ingenio, & litteris, & forma, inter æquales nitentem, prauo consilio amicitiam Catilinæ secutum, inq; castra eius, temerario impetu ruentem, medio itinere abstractum supplicio mortis affecit: præfatus, Non se Catilinæ illum aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genuisse.* Laudantur hi justè irascentes, & quidem filijs suis irascentes; in quorum laude diuina quoque ira laudabilis inuenitur. Cur enim Deus filijs suis non irascatur, si sint degeneres? si patris disciplinã excutiant à se? si contemnant amantem? Enimuerò iratus fuit sæpe, sæpe eos castiga-

Val. Maxim. l. 5. c. 8.

uit. Denique populum illum, de quo dixit:
Oseæ 11. 2. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, quia vidit Christo tam inimicum, & in Hierosolymitana clade, & vsque ad hunc diem, quàm varijs modis afflixit? Nimirum vt ipse iustissima ira in refractarios animaduertit, ita vel exemplo vult etiam alios ad iram rationi consentaneam excitare. Sunt enim multi adeò sine bile, & ratione, vt omnia sinant susque deque ire, & nunquam irascantur, nisi quando alios vident iustissimam licet iram à se postulare, iram à ratione dictatam, à Numine mandatã; ab ipsis Ethnicis approbatam: dummodo in potestate habeatur, & ipsa non superet vincatq; rationem. Potest enim
Cæl. l. 6. c. 35. facilè degenerare, cùm Gallius Vibius vir magnæ eloquentiæ insaniam mentiens, quod assimilabat, ad verum redegerit. Subesse debet ira non præesse.

IV. PARENTVM NON IRASCENTIVM CVLPA.

Vtinam hæc ira esset in omnibus parentibus, qui suos liberos nimia destruunt indulgentia, & vel omnino conniuent, vel nimis molliter irascuntur, quando audiunt, prolem suam exorbitare; quemadmodum Heli,
1. Reg. 2. 22. qui *erat senex valde, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli: & quo modo dormiebant cùm mulieribus, quæ obseruabant ad ostium*

*ostium tabernaculi: & dixit eis: Quare facitis res huiuscemodi? quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite, filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Vbi multa considerationе digna se se offerunt. 1. Non fuisse dubia filiorum crimina. 2. non fuisse exigua. 3. non fuisse pauca. 4. non fuisse occulta, sed publica & scandalosa. 5. non latuisse eorum parentem, qui ea non ab vno, sed *ab omni populo* audiuit. Non fuisse dubia, tot testes ostendebant, nec ipsi negabant rei. Non fuisse exigua, locus, genus, occasio peccandi ostenderunt. Siquidem in loco ad orationem & sacrificia deputato, & cum personis Dei seruitio destinatis peccauerunt: nam *dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi*, lustrum è templo facientes. Non fuisse pauca, indicant illa *omnia, quæ faciebant filij vniuerso Israeli.* Non fuisse occulta, sed publica & scandalosa, exprimitur illis verbis, quia *omnis populus* eos accusabat; & quæ Heli ipse dixit, *vt transgredi faciatis populum Domini.* Non latuisse parentem, illa etiam declarant; *Et au-*

*diuit omnia, quæ faciebant filij sui.* 6. Igitur Heli & ſenij authoritate, & poteſtate paterna, & ſacerdotali pietate vti debuiſſet. 7. Debuiſſet & ſacrificia promouere, quæ filij impediebant, *neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum ad populum; ſed quicunque immolaſſet victimam, veniebat puer ſacerdotis, dum coquerent carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebetem, &c. Et erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines à ſacrificio Domini.* 8. An non debebat hoc etiam grande eſſe coram Heli? Sed ille parens fuit indulgens. Mitio fuit, amore cæcus fuit, filijs iraſci non potuit. 9. *Quare facitis res huiuſcemodi?* ait: quaſi occaſionem eis offerret, ſe excuſandi, aut quaſi illi cauſſam dicere honeſtam rerum tam inhoneſtarum potuiſſent. 10. *Nolite filij mei,* inquit, *non enim bona eſt fama, quam ego audio.* Quaſi eorum illum fama magis, quàm culpa affligeret. *Non iraſci, in quibus oportet, inſipientis eſt,* ait Ariſtoteles. Quid mollius potuit dicere, quàm: *Nolite, filij mei?* baculum arripere debuiſſet; homines nequam veriùs nominaſſet; à capite ad calcem, per ſcapulas & lumbos, per femora & crura loris eos, ex merito conſcribillaſſet.

Ariſtot. lib. 3. Ethic.

Sed

Sed ira defuit illi, quamuis, si S. Hieronymo credimus, alioqui sanctimonia esset illustris. Sic amor eum filiorum excæcauit. Vt & nos plerumque *Non videmus manticæ, quod in tergo est.* Ad aliorum vitia aquilæ, lynces, & toti, sicut Argus, oculei. Domestica excusamus, &, quâ possumus, tegimus; ne culpa in nos redundet. Ira tunc nobis deest, sicut defuit Heli.

S. Hieronym. in cap. 6. ad Ephes.

V. QVAM MALE QVIDAM INDVLGENTIAM HELI IMITENTVR?

Ne vobis quoque desit, ô parentes, *irascimini, & nolite peccare,* si filij vestri peccant. Immo nolite huius Heli effeminatam clementiam superare. Heli, indulgentiâ peccauit: & tamen accusationes *ab omni populo* admisit, vos non vultis audire, si quis filios vobis vestros accuset; putatis nimirum illos delinquere non posse; plus filijs creditis, quàm accusãtoribus filiorum; vera dicentes, illico pulli vestri eludunt negando, & perfrictè mentiendo. Heli filios suos vocauit, & accusatores, non nisi generatim citauit, *ab omni populo,* se rem audisse, dixit: non dixit, Ioachim vos accusauit, vt nôritis vestrum proditorem; non nominauit Manassem; non descripsit alium, quem facilè coniectura assequi possent: vos, vt filios vestros in odium atque vindictam incitetis, vt dissidia paria-

tis,

tis, vicinus, inquitis, dixit: Georgius hoc de vobis scripsit: epistolam eius legite: ita accusantes, in gratiarum actionem, vicissim accusatis; ita ostenditis, ægrè vobis esse, si quis indicet, sibi aliquid in filijs vestris displicere; ita facitis, vt vos nemo imposterum, si quid filij vestri peccauerint, aut si in periculum inciderint, audeat admonere. Heli saltem filios suos ita compellauit. *Non est bona fama, quàm ego audio:* vos, si de vestra sobole aliquid turpe narratur, sæpè etiam ridetis, & placere vobis testamini, si quid audeant, nempe heroicum esse putatis, posse esse facinorosum; & ex hoc viros agnosci dicitis, si filios vestros, tametsi vxores non habeant, tamen jam liberos habere audiatis. Hæccine summa est gloriæ vestræ, proletarios mundo dedisse? qui nomen viri, non virtute, sed libidine metiantur. O viri, non viri, sed mulieres! ô matres, non patres! ô Mitiones, non Hegiones? cur vos tanta amentia finitis excæcari? *Irascimini, & nolite peccare.* Peccatis enim hîc, si non irascimini, quando filij vestri, filiæque vestræ iram meruerunt. Meritò igitur pœnæ vos expectant, quas meruit audire & sustinere Heli sacerdos; longeque atrociores. Liberorum enim peccata, in paren-

parentum supplicia redundant. Rectè Clemens scripsit: parentes illius peccati reos fieri, in quod, eorum indulgentia, proles incurrit. Vnde dicitur: *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* *Patientia enim irrationabilis*, ait S. Chrysostomus, *vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solùm malos, sed etiam bonos inuitat ad malum.* Et addit: *Iracundia, quæ cum caussa est, non est iracundia, sed iudicium.* Quare & defectus iræ iudicium rationis consequentis, vitiosus est; est enim defectus motus simplicis in voluntate, quo aliquis, non ex passione, sed, ex judicio rationis pœnam infligit, ideoq; non tam irasci dicitur, quàm judicare. Quamuis & hic ipse simplex motus voluntatis *ira* appelletur. Ex quo necessariò, in homine, sequitur motus appetitus sensitiui, qui est cum passione, & cum corporis alteratione, vocaturque & ipse *ira*. Quoniam autem natura ita constituti sumus, vt in nobis appetitus inferior sequatur motum appetitus superioris, nisi aliquid repugnet; idcirco motus iræ in appetitu sensitiuo, non potest penitus deficere, nisi per subtractionem, vel debilitatem motus in voluntate existentis. Hinc fit, vt, sicut defectus voluntarij motus ad punien-

Clem. l. 4 Constit. Apostol. cap. 20.
Eccli. 30.
S. Chrys. hom. 11. super Matth.

dum,

dum, iuxta iudicium rationis, est vitiosus, etiam defectus passionis iræ fiat vitiosus. Deficit ergo ira hæc & passionis, & rationis, in parentibus, qui filios peccantes non plectunt; cum iisdem ipsi à summo iudice plectendi. Et, licet *Comicæ lenitatis hi patres, tragicæ asperitatis illi* sint, neutrique laudandi, efficit tamen plerumque lenitas, quàm asperitas filios deteriores. Quibus parcere, est eos occidere. Vixissent longè diutiùs filij sacerdotis Heli, si eos parens castigasset: lenitate sua & ipse mortem incurrit, & filijs vitam accîdit, clemens homicida.

VI. MAGISTRATVS NON IRASCENTIS CVLPA. Cælius l. 26. c. 27.

Neque aliorum indulgentiâ corrupti, in eorũ laudes eunt, à quibus corrigi eos oporteret. Vt enim Diogenes Cynicus, cùm esset conspicatus indecenter voracem puerum, pædagogo plagam incussit, inferens: *Vt quid ita imbuis?* ita iram quoque Numinis experientur, qui, quando officiũ exigit, non irascuntur. Sunt autem in hoc numero, non Pædagogi tantùm & Magistri, qui sibi concreditos clientes discipulosque vino madidos, sine indignatione, aspiciunt; & non raro ipsi, vt profundiùs immergantur, propinant, vrgent, docent, non orare, sed potare, vt discipulos habeant ebrietatis; non, inquam, in

in hoc numero hi tantùm sunt; sed alti etiã Magistratus, Principes, Reges, Imperatores. Celebrabatur aliquando Charillus, ibi Archidamas subiunxit: *Quînam hic bonus sit, qui nec improbis est acerbus?* Magistratum, Principem, Regem, Imperatorem, fulmini illi similem esse decet, quod mollia non lædit, dura conterit: ita enim & illi amabiles esse debent probis, improbis seueri; quia illi suauitate, isti metu reguntur. Improbus, qui non timet, quiduis audet. Princeps ergo, qui non potest irasci, qui bile caret, qui columba sine felle, agnus sine dente vocatur, quia non metuitur, meritò ipse metuere debet iram Dei omnipotentis. Est enim caussa maximorum in Repub. malorum. Nulla sub eo justitia, nulla securitas; sed perfidiæ, proditiones, libidines, & omnis iniquitatis ac impuritatis machinationes, sub eo, vigent. Venduntur iudicia, emuntur sententiæ, proscribuntur leges; & pecunia ab hoste donata æque est chara, ac si à Principe proprio venisset. Quid enim? aiunt, si fraus succedit, opes crescent: si deprehendor, non periclitor, Princeps enim meus, spongia mollior est, nequit irasci; quid igitur obstat, quò minùs illius caussam pronunciem esse iustiorẽ,

Plutarch. de discernendis adulatoribus.

cuius

cuius manũ in me experior largiorem? Promittit hostis grandia; maiora sunt munera, quàm stipendia; illi seruio, à quo plus accipio. Nihil mihi est timendum, sub magistratu non irascente; vigilet ergo audacia, iustitia dormiente. Facere iubet mala, qui non punit. Qui tolerat adulteria, est in alieno crimine adulter. Qui dissimulat malum, facit malum. Ita etiam alioqui bonus princeps, castus rex, & integritatis amans magistratus, caussa est omnium, in ciuitate, prouincia, regnoué, malorum, si nunquam irascitur. Quibus proin meritò dici potest: *Irascimini, & nolite peccare*: nam & sine peccato irasci, &, ni, cum res exigit, irascamini, peccare potestis. Hæc ira, non est contra charitatem, sed ad charitatem originem suam refert. Immo odit, qui non punit. Quod enim de filijs, id & de alijs subditis dici intelligiq; debet. De filijs autem dicitur: *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit*. Quantum autem oderit, è D. Chrysostomo accipe: *Hos ergo patres*, ait, *quod nemo tamen me commotiùs dicere, quàm veriùs existimet, parricidis ipsis immaniores sceleratioresq; dixerim. Illi enim corpus ab anima disseparant; isti & animam, & corpus æternis igni-*

Prou. 13. 24.

S. Chrys. lib. 3. aduers. vituperatores vit. mon.

*bus tradunt. Atque is quidem, qui corpore occiditur necessariò naturali lege, etiamsi necatus non fuisset, moreretur: hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi consciuisset paterna negligentia. Præterea corporis mortem superueniens protinus resurrectionis gloria delere poterit facillimè, animæ verò interitum nihil soluere poterit, cum sibi nulla tum sit reliqua salutis spes, verùm immortales cruciatus luere cogatur. Itaque non iniuria parentes* ( & magistratus ) *eiuscemodi deteriores parricidis esse diximus.* Hac decaussa Sapiens ait: *Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Prou. 23. 14.

Quod de Concionatoribus ipsis occini potest. Nam si Cynicorum vertex Diogenes sapienter putatur locutus, quando, auditis Platonis laudibus, dixit: *Quid verò habet ille præclari, qui tam diu Philosophiam professus, nemini acerbus fuit?* quid ad Concionatores dicet judex Deus, qui floribus tantùm verborum student? qui mulcere aures, non corrigere mores populi volunt? qui iucunda, non vtilia proferunt? qui semper auditores laudant, nunquam emendant; Encomiastæ, non Ecclesiastæ? qui, vt ipsi nunquam sunt in dicendo vehementes, ita neque alios vnquam commouent vehementer? vitijs placa-

VII. CONCIONATORVM NON IRASCENTIVM CVLPA.

Plutarch. de virt. morali.

ti, non irati: Mitiones, non Cicerones: denique *canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* Ad hos vtique etiam Deus de cœlo clamat: *Irascimini, & nolite peccare;* peccabitis, si non irascamini; ira iusta est, contra iniustos detonare; exagitare impuros; superbos debellare; lurconibus non parcere; inuidiam stilo confodere; proscribere iracundiam; & in vitia non esse clementem. Esto, clament, qui, tanquam podagrici, se tangi non sinunt: esto, nimium dici videatur illis, quibus nullum scelus est nimium. Dixit & Christus vehementer, sed dixit vtiliter; dixit *ita, vt non possent panem manducare. Et, cùm audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.* Sinite hoc & de vobis dici, concionatores; vos, cum Christo, *irascimini, & nolite peccare* parcendo. Vnusquisque sibi dici putet: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.*

Isa. 56. 10. — Marc. 3. 31. — Isa. 58.

Sic irasci, est sanare, non vulnerare; punire non insanire: judicare, non præcipitare.

*PARS*

## PARS SECVNDA.

HVc vsque de ira vtili & moderata libuit prooemiari, qua irasci quis potest, vt non peccet; nunc, quò tendimus, pergemus, ad iram malam perniciosamque ante oculos ponendam. Quæ homini semper in promptu, & ferè quotidiana, magnũ negotium facessit; immo, ni dometur, ex homine tetrum ac rabidum canem, enimuerò sæuam belluam facit, eumque ad omne genus peccati impellit. Vnde & maximè indiget illâ admonitione: *Irascimini, & nolite peccare:* vel potiùs illâ, *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur,* sed, velut Acherontica Alecto hydris crinita adest *Dirarum ab sede sororum Bella manu lethumq; gerens.* Quæ si cui facem coniecit, *& atro*

VIII. IRAE MALAE COMPARATIO.

Ephes. 4. 25.

Virgil. l. 7 Æneid.

*Lumine fumantes fixit sub pectore tædas,*
*Sæuit amor ferri, & scelerata insania belli:*
*Ira super: magno veluti cum flamma sonore*
*Virgea suggeritur costis vndantis aheni:*

*Exundantq́; æstu latices: furit intus aqua vis:*
*Fumidus atque altè spumis exuberat amnis:*
*Nec iam se capit vnda: volat vapor ater ad auras.*

Ita enim irâ calentes æstuant, neque mentis impetum possunt cohibere; citiùs elephantum sub ala celent, & flammã faciliùs in ore ardente opprimant, quàm in animo iram. Erumpit in oculos furor, in genas rubor, in linguã verba, in pugnos minacitas; nec pauci, Orestis instar, vi insaniæ, sibi digitum arrodunt, caput pugnis cædunt, aut parieti allidunt Furijs agitati. Lycurgus certè rex Thraciæ in furorem versus, crura sibi ipse amputauit. Nam illud minus fuit in Oreste, qui per insaniam sibi vestes dilacerauit, vnde & adagium ortum est, *Oresti pallium texere*, in eos qui parant munus abusuro; & apud Iudæos vsitatissimum fuit, *scindere sibi vestimenta*, in signum indignationis. Cleomedẽ, seu Cleomenem scribit Herodotus, à Lacedæmonijs, quibus imperabat, primò expulsum, pristinæ quidem dignitati restitutum fuisse, non multò tamen post in tantam insaniam incidisse, vt cuique obuio sceptrum in faciem

Herodot. in Erato.

faciem impingeret. Quod eum facientem, propinqui soleis ligneis illigauerunt, & in carcerem coniecerunt: vbi arrepto custodis, seu carcerarij gladio, ab ima corporis parte, ad verticem capitis, se dissecuit. Tam potens est ira degenerans in furorem. Harthbenus fuit athleta quispiam, ex Helsyngia, nouem cubitis procerus, quem Saxo Grammaticus in tantas Furias testatur cecidisse, vt summas clypei partes corroserit, raptas ore prunas in viscerum ima transfuderit, crepitantia flammarum pericula percurrerit, atque ad extremum in sex athletarũ suorum præcordia, furente manu ferrum conuerterit. Furori hoc ascribitur? Idem ira facit, quid non rodit? quem non mordet, cuius nomen non lacerat? quos non vel voto, vel ferro occidit? Atque id vt faciat, carbones & prunas irascendiq; materiam sibi ipsi ministrat. Habetque hic affectus sua incrementa. Quædam ira subito motu oritur, & citò iterum subsidit, multaq; sæpe facit repentino impetu, quæ omitteret meditata. Non rarò enim habet *sæuitiam* adiunctam, quæ est seueritas excedens, etiam id crudeliter efficere gestiens, quod jure fieri posse videtur. Est enim cupiditas ad immanitatem prorumpens. Alia est ira du-

rans, quæ *inimicitia* dicitur, & , vt grauiùs feriat, vlciſcendi tempus obſeruat; quæ & *diſcordia* poteſt vocari, quam Cicero *iram acerbiorem, intimo odio & corde conceptam* appellat. Hæc quò diutiùs retinetur, eo magis creſcit, ſicut fœtus in vtero. Denique *feritas* eſt atrociſſimæ cupiditatis rabies, vis in animo adeò accenſa, & tam menti, quàm corpori imperitans, vt omnem prorſus rationis motum extinguat, feris & beſtijs ſimillima; quæ omnes inuadit, innocentes æquè ac nocentes; nullo diſcrimine, *Tros Rutuluſué fuat*.

Ariſtot. lib. 4. Ethic. c. 5.

Hæc genera, atque hos iræ fœtus non ignorans Philoſophus dixit: *Iracundi quidem celeriter commouentur, & in quos non decet, & quibus de cauſsis, & vehementiùs, quàm ſat ſit: ſed facilè ac citò etiam eorum ira deſiſtit, quod in ijs eſt optimum. Acerbi ægrè placantur, diuq; irati ſunt: nam iram retinent: animum autem ſi ſemel expleuerint, tum modus apponitur. Vltio enim modum finemq; iræ adhibet, pro dolore voluptatem exhibens. Infenſos homines appellamus eos, qui quibus de cauſsis minùs rectum eſt, iraſcuntur: & vehementiùs, & diutiùs, quàm ratio poſtulare videatur: eos etiam, qui non redeunt in gratiam, niſi vltio, vel animaduerſio ſit conſecuta.*

Idem l. 7. Ethic. c. 6

Et alio loco: *Ira parere quidem illa videtur*

*tur, quodammodo rationi: sed non attentè eam audit; ritu canum, qui priusquam considerarint: sitné is amicus, qui pulsauit, allatrant. Sic ira feruore ac repentino naturæ motu incitata, audit illa quidem rationem: sed præscriptione non intellecta, ad supplicium se vltionemq́; conuertit.* Adeò

*furor iraq́; mentem* — Virgil. l. 2 Æneid.
*Præcipitant.*

IX. IRA MALA VENIALIS, VEL MORTALIS.

Potens est morbi huius remedium, cognitio illius. Quare sapienter fertur Plato auditores suos admonuisse, vt irati se in speculo contemplarentur. Nam dicebat, cùm faciem suam furibundam, per omnia, phrenetico similem viderent, eo dedecore territos, impostèrum ab ira sibi facilè temperaturos. Est autem ira vitiosa, *immoderata cupiditas puniendi eius, à quo se quis læsum arbitratur.* De hac ait S. Paulus: *omnis indignatio, & ira tollatur à vobis;* illa scilicet omnis, quæ rationis excedit modum, vt S. Thomas monet. Cùm enim ira sit passio, passio autem appetitus sensitiui, vt supra dictum est, eousque sit bona, quousque regitur à ratione, mala ibi esse incipit, vbi velut torrens extra alueum effusus, ordinem rationis excedit. Vnde, si quis vindictā

Ephes. 4.

S. Thom. 2. 2. q. 158. art. 2.

à recta ratione dictatam meditetur, vocatur ira eius, *ira per zelum*, estque laudabilis ille appetitus. Sin autem vindicta, contra regulam normamque rationis, coquatur, vt vel puniatur is, qui non meruit; vel plus acerbiusque puniatur, quàm meruerit; vel etiam non legitimo ordine, aut non legitimo fine, qui est conseruatio justitiæ, & culpæ correctio; tunc appetitus iræ est malus ac vitiosus, nominarique solet *ira per vitium*; estque peccatum saltem veniale, si rationem præueniat, atque nimia passione erumpat, aut immodico vindictam expetat, aut ad effectum grauem non perducat. Etsi enim ira, quia & charitati, & iustitiæ est contraria, ex genere suo, sit peccatum mortale; potest tamen talis appetitus, ob imperfectionem actus, esse tantùm peccatum veniale. Quæ imperfectio actus vel oritur ex parte appetentis, in quo motus iræ judicium rationis præuenit; vel ex parte appetibilis, quando scilicet aliquis, modicè duntaxat, & in re nullius momenti, quæ quasi nihili esse putatur, se se vult vindicare; quæ res ipsa si alteri inferretur, tamen mortaliter non peccaretur. Grauis & mortalis ira esset, si quis demissis, vt aiunt, auriculis, & deliberatè notabilem vellet vindictam

S.Thom. ib, art. 3.

dictam, immerito, vel maiorem, quàm meruisset, vel propria authoritate, vel contra iuris ordinem, vel præcipuè, non amore iustitiæ, sed vt proximo malè sit, ex odio & maleuolentia, parare. Hæc sunt, quæ iram efficiunt inordinatam, & frænum exigunt. *Esto, sit naturæ irasci,* ait S. Ambrosius, *aut plerumque caussa: hominis est tamen temperare iracundiam, non leonino raptari furore, non assuescere clamori, non serere, nec acerbare familiare iurgium;* nec in fermento iacere, & stomachari. S. Ambr. ep. lib. 10, ep. 82.

X. IRAE EFFECTVS.

Aiebat porrò Democritus, *iram, quemadmodum canes, cæcas criminationes parere.* Quod verum est; satis non est. Nascuntur enim ex illa plures filiæ, omnes vtique, vt S. Gregorius monuit, detestandæ: *rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia.* Iratus siquidem, vt scloppus, igne admoto, illico in sonum erumpit, & in rixas, & in clamores, & in indignationes, & in ipsũ Deum blasphemandum. Quin & mente intumescit, quia lædi, putat esse contemni. Hæ sunt filiæ iræ. Nec sufficiunt istæ. Quippe ira intus in animo, tanquam Æthnæa quædam excitat incendia; quæ prorumpunt in omnia animi vitia, & corporis membra; in flammas oculorum, in ruborem vultus; in Maxim. serm. de Ira. S. Greg. l. 31. Mor. c. 31. seqq.

linguæ titubationem & præcipitantiam; in celeritatem pedum, in pruritus manuum, in pugnos & pugnas, in cædes, homicidia, parricidia, proditiones; denique multi, vindictæ caussa, Orco se atq; Diris deuouerunt.

S. Chrys. hom. 29. ad pop. Antioch.

*Nihil iracundo homine insuauius,* ait S. Chrysostomus, *nihil grauius, nihil infestius, turpius nihil, feræ potiùs, quàm iracundo homini cohabitandum est.* Fit quippe & iracundus quodammodo bestia, & fera feroxque bestia. Dum enim ex illata iniuria, vel iniuriæ opinione, appetitus, ad vindictam repellendam, cum impetu, incitatur, accenditur, per eam vehementiam, sanguis & spiritus, circa cor, accedente etiam fellis euaporatione. Hinc cor palpitat, tremit corpus, titubat lingua, ignescit facies, obscurantur oculi, vt noti non rectè noscantur. Nec de corpore duntaxat intelligendum est illud: *conturbatus est à furore oculus meus:* sed multò magis etiam de mente; ira enim rationem, sicut somnus, aut ebrietas impedit, ligat, turbat. Hinc, irati lippiunt; hinc, vt defioculi, caligant; hinc cæcantur. Hinc, ratione euersa, in insani modum Aiacis armati & hominibus, & pecoribus infesti loris cædunt, & tota laniant armenta; & dum porcos verberant, putant,

S. Damascen. l. 2. c. 26. de fide orthod.

Psal. 30. 10.

S. Greg. l. 5. Mor. c. 31.

tant, se in Græcos incidisse. Hinc in ipsos filios, vt Athamas aut Agaue, tanquam in hostes, irruunt. Hinc in furorem rapti

*Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,* Virgil. lib. 4 Æneid.
*Et solem geminum & duplices se ostendere Thebas.*

Hinc si vel digitulo tangantur, belluæ in morem, sæuiunt, & in omne crimen ruunt. Denique *ianua vitiorum omnium iracundia est,* ait S. Hieronymus, *qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur quies: aperta verò ad omne facinus armabitur manus.* Cuius rei breue, sed luculentum exemplum apponã, è quo perspicuum est, quàm & ira hominem turbet, & nihil decernendum sit de vindicta, nisi cum ira derferbuerit, iuxta illud D. Gregorij: *Quoties ira animum inuadit, mentem edoma, vince teipsum. Differ tempus furoris, & cùm tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. Ira enim in vindicta malorum sequi debet rationem animi, non præire, vt quasi ancilla iustitiæ post tergum veniat, & non lasciua ante faciem prorumpat.* Exemplum est istud.

S. Hieron. in Prou. l. 3. c. 29.

S. Greg. lib 8. reg. cap. 5.

XI. TRAGICA IRASCENTIS HISTORIA.

Simon Goulart, in historijs nostri temporis, & Liber primus *conformitatum admirandorum antiquorum cum huiusce temporis,* referunt,

Ex his Philip. Doulterman. in Pædagogo Christiano c. 7. §. 7.

ferunt, virum quendam agricolam, postquam

*Sole sub ardenti, flauentia messuit arua,*

dum in agro manipulis colligendis colligandisque occuparetur, filium misisse, qui nescio quid domo afferret. Filius, vt ea fert ætas, vel in via cum æqualibus lusitans, vel fugitans laboris, moras longiores traxit. Pater, expectatione sua tardiùs redeunte nato, primùm numerare tempus, mox impatienter moramentum ferre, variasque secum morandi caussas expendere, tandemque ita excandescere cœpit, vt de eo verè credi posset, quod Cato Priscus dixit: *Iratum ab insano, non nisi tempore distare*: iste semper, ille ad tempus insanit. Quodque vel Horatius scripsit: *Ira furor breuis est* (vel, vt Themistius loquitur, *breuis insania*) pro oraculo haberi potest. Siquidem, præ reliquis iræ affectus *totus concitatus, & in impetu doloris est: armorum, sanguinis, suppliciorum, minimè humana feruens cupiditate: dum alteri noceat, sui negligens; in ipsa irruens tela, & vltionis secum multa tracturæ auidus. Æquè enim ira impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi consiliisq; præclusa, vanis agitata caussis, ad dispectum æqui veriq; inhabilis*

Stobæus ser. 18. Horat. l. 3 epist. 3.

Senec. l. 1. de ira c. 1.

*bilis, ruinis simillima, quæ super id, quod oppressêre, franguntur.* Hæc, vti Philosophus descripsit, in colono irascente, omnia apparuêre. cùm enim irâ non caleret, sed æstuaret, tanquam redeuntis tarditate in amentiam datus, ita sanguinem suum, in suo filio, excepit segniùs reuerso. Suffecissent, ad eum castigandum verba; alapæ tres testudineum gradum satis puniuissent, aut scutica circum pedes vibrata. Sed *cupido & ira pessimi* sunt *consultores*, & furor prædominans non patitur moderationem. nam, vt rectè dixit Ennius, *initium est insaniæ.* Itaque glebam, ligna, lapides, & quidquid obuium furor præbuit, vi maxima, in puerum coniecit. Non est telum, postquam manu fugit, in nostra potestate, neque semper volat, quò destinatur. Quare fortasse & colonus iste plus nocuit, quàm voluit. Certè, postquam nocuit, tantum voluisset non nocuisse. Illi enim, cui vitam dedit, tot iaculis icto vitam effudit, quæ cum sanguine effluxit. Verè ita se res habet: *finis iræ, initium est pœnitentiæ.* Vix filium agricola strauit, & mox damnauit, quod fecit. Iacentem namque sine anhelitu, sine motu, vbi vidit, desijt furere: immò tum demum magis cœpit insanire. Ira enim in pœnitentiam

Sallust. in Iuguth.

Cic. l. 4. Tuscul. qq.

tiam doloremque versa, in se clarè ostendit, iratos ruinis esse similes, *quæ super id, quod oppreßêre, franguntur.* Quia enim plerunque iracundus, cùm irasci desierit, tunc irascitur sibi, tantus eum occisi filij subijt dolor, vt ad extrema se se consilia conuerteret, sibique iam ipsi flagrantissimè infensus, desperatissima cogitaret. Vt ergo nimia ira *est rationi consilijsq; præclusa*; ita, filij cadauere manipulis tumultuariè tecto, domum è rure turbatus cucurrit. Domi, neque vxore, neque filio infante salutato, in horreum ingressus, arrepto laqueo, ex alta se trabe suspendit. Sedebat tunc à recenti partu in balneo vxor, infantulo ad vbera hærente, cui verna rusticum adeò intempestiuè ex agro reuersum curiosiùs obseruans, cùm tristem scenam repentè nunciasset; exiliens illa, horrore subitò correpta, è balneo protinus ad horreũ aduolauit. In tanta autem perturbatione, festinationeque, & sui & prolis oblita, infantem neglexit, qui interea balnei aquis est suffocatus. Vtrinque ergo tragœdia se exeruit. In horreo, in felix mulier maritum vidit pendere in sublimi: inde ad balneum tristis reuersa, extinctum infantem in imis aquis demersum inuenit. Tertio iam funeri caussam

dederat

dederat ira coloni, & nondum desæuierat: nam tot malis icta & ipsa mater, post inconsolabiles planctus, & eiulatus, in desperationem data, ad horreum est regressa; ostioque & omni aditu diligenter occluso, se ex eadem infelici trabe, iuxta pendulum & adhuc calentem maritum suspendit. Ita, vno die, quatuor funeribus ira mundũ incestauit. Caussa mali ira fuit, tantæ autem iræ, puerum in plateis, cum æqualibus lusisse, vel paulo diutiùs confabulatum esse. Comparate cum vindicta culpam, & inde iram æstimate. Quæ & in vobis leuissima de caussa exardescit.

*Esse negas coctum leporem poscisq́ flagellum,*
*Mauis Cinna cocum scindere, quàm leporem?*

inquit Martialis. *Quid gladiatoribus*, ait alius, *quare populus irascitur? & tam iniquè, vt iniuriam putet, quòd non libenter pereunt? Et pueri, si ceciderunt, terram verberari volunt, & sæpe nesciunt quidem cui irascuntur, sed tantùm irascuntur sine caussa, & sine iniuria.* Quoties nos coco, quoties equo, quoties cani irascimur latranti? quoties calamo è quo sepia non fluit, quia malè à nobis fissus est, succensèmus, eumque in mensa contundentes diffringimus? Senec. l. 1. de ira c. 2.

gimus? quin & ianuæ ſtridenti, & frigido, vel calido cœlo, & viæ prolixiori, & cultro non ſatis acuto, & denique cui non indignamur? Etiam nobis ipſis. Timanthes Cleonæus athleta, cùm, & viribus ſenio defectis, & deſuetudine, ingentem arcum non poſſet intendere, quem iuuenis lunabat & flectebat, furori adeò indulſit, vt eam tantùm ob rem gladio ſeipſum peremerit.

XII. IRATI ET INSANI COMPARATIO.

Quæro, an ſic iraſci, non ſit inſanire? an talis non poſſit iracundior Adriâ putari? Quod igitur in alio deteſtamur, cur amamus in nobis? Siquidem, in vnoquoque homine, vt vel Epicurus agnouit, *immodica ira gignit inſaniam*; &, vt Bias apud Laërtium pronunciauit, *bono conſilio, duo maximè contraria ſunt*, FESTINATIO, & IRACVNDIA. *homo enim iracundus, cùm extra ſeipſum ſit, vacuus eſt omni conſilio.* Et *ira* facit *à ſe ire*. *Iratos,* inquit Cicero, *propriè dicimus exiſſe de poteſtate, id eſt, de conſilio, de ratione, de mente.* Quod, teſte Platone, contingit illis, qui more canum ſæuiunt in lapidem. Duo ſunt, quæ inſaniam produnt, vnum omnibus patet, alterum in effectu detegitur. Illud eſt corporis commotio, iſtud præcipitatio ſententiæ in grauiſſima damna erumpentis. Multi vnum, multi

Senec. ep. 18. ad Lucil. Laërt. in eius vit.

Plato l. 5. de Rep.

vtrum-

vtrumque in se reperient, si intueri se velint insanientes. De primo nos supra fecimus mentionem, Seneca sic loquitur: *Vt autem sciat, non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam, vt furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, certus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementiùs acta suspiria: ita irascentiũ eadem signa sunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordijs sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentiũ sonus, gemitus mugitusq́; & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasq́; minas agens, fæda visu & horrenda facies deprauantium se, atq; intumescentium. Nescias vtrũ magis detestabile vitium sit, an deforme.* Deformitatem etiam D. Chrysostomus proponit in hunc modum: *Videbis iratos non secus ac insanos, turpiter in medium præcipites ferri: cùm enim circa præcordia efferbuit ira, ignem emittit; tota inflatur facies, incompositæ manus mouentur, & cetera. Cùm hæc faciunt, tanquam amentes, nihil sentiunt, nihil intelligunt, sed asinorum*

Senec. lib. 1. de ira, c. 1.

S. Chrys. hom. 3. in Ioan.



*norum*

*norum more, calcibus morsibusq́; inuicem insultant.* Ridiculum est spectaculum, videre duos sic inuicem insanientes; & ora, tanquam infernalia monstra serpentibus succincta deformantes. *Qualem putas animum, cuius extra imago tam fœda est?*

XIII. PATRIS IRA QVO SE VSQVE EXTENDERIT? Verùm insaniam hanc effectus alij detestabiliorem reddunt. Numquid enim parens ille puero, ob tam leuem & exiguã noxam, in tantum irasci debuit, vt eum lapidibus peteret? vt consauciaret? vt occideret? Sed hoc exordium duntaxat fuit. *Cetera vitia impellunt animos, ira præcipitat. Ceteris etiamsi resistere contra suos affectus non licet, at certè affectibus ipsis licet stare: hæc non secus quàm fulmina procellæq́;, & si qua alia irrationabilia sunt, quia non eunt, sed cadunt, vim suam magis ac magis tendit.* Quare ira primùm ex patre tyrannum, mox ex homine, belluam fecit. Itaque in filium erupit. Filio sublato, in authorem reuersa, eum ad restim adegit. Sic vno vitio duo ceciderunt. Nimirum, teste S. Basilio, *quemadmodum torrentes ad curua loca decurrentes secum obuia quæque trahunt: sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurrunt atque obruunt.* Quod & in exemplo nostro fuit videre. Neq; enim iram filium

Senec. lib. 3. de ira, c. 1.

S. Basilius de ira.

filium duntaxat & patrem interemit in desperationem versa; sed etiam caussa fuit; vt infans mergeretur, & ipsa denique mater totius se faceret calamitatis appendicem, ita vitæ prodiga, adeò naturæ oblita, vt nec barbarus ex triuio id vnquam facturus fuisset.

Tristis est hic euentus & dignum tragœdia argumentum, qua Orestes, aut Oedipus ageretur. Sed nec à quotidianis moribus alienus. Quid enim ira non dicit? quid non facit? nunquam nisi infixo aculeo fugit, more vesparum, aut crabronum, quos quispiam irritauit. Profectò ita est, *si effectus eius damnaq; intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes ac venena, & reorum mutuas sordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium, & principum, sub ciuili hasta capita vænalia, & subiectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucentia. Aspice nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Aspice solitudines, per multa millia, sine habitatione, desertas: has ira exhausit. Aspice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati, alium ira in cubili suo confodit; alium inter sacra mensæ ira percussit; alium inter leges celebrisq; spectaculum fori lancinauit; alium filij*

XIV. Ex ira quantæ clades? Senec, lib. I. de ira. c. 2.

*parricidio dare sanguinem iussit; alium seruili manu regalem aperire iugulum; alium in cruces membra diuidere. Et adhuc singulorum supplicia narro. quin, si tibi libuerit, relictis, in quos ira viritim exarsit, aspice cæsas gladio conciones, & plebem immisso milite contrucidatam, & in perniciem promiscuam totos populos capitis damna passos.*

XV. IRASCENTIBVS OMNIA PLENA.

Sabellic. l. 19. c. 3. Niceph. l. 12. hist. Eccl cap. 40 Sigon. de Occid. Imp. l 9, Baron. An, 390.

Nec apud Ethnicos hæc tantùm ira gessit. Etiam apud Iudæam gentem *extant varia & atrocia huius vitij exempla, & in ijs illud Saulis regis, qui ob Dauidem quem infensè oderat, quia apud Amalechũ fugiens ille in hospitio fuisset, regiæ iræ ignarum non solùm hospitem ipsum, sed Nobeam etiam hospitalem vrbem incendit, ciuibusq; omnis sexus & ætatis ferro deditis. Fuitq; miserabilis illa clades eò calamitosior, quòd quinque & octoginta sapientia & diuinatione illustres viri Abimelechi caussa extremo sint supplicio affecti.* Dominatur etiam sæpe in Christianos, adigitque eos agere minimè Christianè. Notum est, Theodosium Imp. Thessalonicę, ob vnius ex aulicis, in populari tumultu, occisi necem, adeò excanduisse, vt septem ciuium millia, spectaculorum exhibendorum specie, vnum in locum congregata, inaudita barbarie, occidi jusserit. Notum, quoties hodieque in-

in aulis, vnius verbi offensio, officium, gratiam, fortunas, sæpe & vitam, sæpe & totam prouinciam perdat. Odiosum est, & periculosum recentia nominare. Linguis minùs attenditur, quàm calamis. Tutius ista dicuntur, quàm scribuntur. Quanquam, quid opus est, exempla è palatijs petere? rure & in pagis, & in humilibus casis plurima occurrunt. Ibi quoties sudibus agitur? quoties vomeres vertuntur in enses? nec parentes modò in filios, sed filij in patres, filiæ in matres insurgunt, illisque comam de capite, plenis manibus, vel de barba furibundæ extirpant? Quot intra mœnia, liuores aspicimus in vultibus vna nocte natos? quot cicatrices numeramus? Quod & inter eos ipsos socios sodalesq; contingit, qui fratres, qui vna esse anima videntur. Quidam etiam nulla re lacessiti irascuntur. *Cœlius senator iracundissimus ille mortaliũ, clienti suo in omnibus sibi consentienti, atque omnia confitenti irascens exclamauit: Dic aliquid contra, vt simus duo. Durum caput qualiter tulisset iniurias, qui obsequium non ferebat?* Nonnulli ipsa hilaritate offenduntur. Quærunt caussas, fingunt iniurias. Ioco lusit, inter bibendum, Euryalus, & extemplo illi in faciem volauit cantharus. ibi amicitiæ characterem

Francisc. Petrarch. dial. 107.

impreſſit. Pudet, altero die, ſobrios cauſſam fateri; erubeſcunt dicere, ſe heri ab ira fuiſſe dementatos, malunt ſe à vino victos accuſare; & aiunt, ſe ebrios, in tenebris, cecidiſſe per ſcalas, aut murum, per imprudentiam, vehementiùs oſculatos eſſe. O miſer, dic veritatem, non tu murũ, ſed te cantharus à combibone inſano in faciem miſſus baſiauit; ſed vitrum intra dentes contritũ oſculo te hoc, & his genarũ rimis & ſulcis decorauit. Hoc fateri erubeſcis, quia ipſe non audes te, ac percuſſorẽ tuum, de tam inſano furore contemtibilem futurum, maculare. Sed hæc leuiora ſunt; ad contumelias, ad cultros & pugiones, ad lethales plagas, ad venena, ad proprias neces, ad æternos ignes venitur, per iram, è vultu, verbo, vel re viliſſima exortam. Quod ipſum eſt magnum inſaniæ argumentum. Vt enim non niſi ſtulti atque inſani ſeipſos ſolent verberare; ita in ſeipſum nemo vel pharmacis, vel laqueo, vel enſe ſæuit, niſi qui, præ ira, de poteſtate mentis exiuit, & homo eſſe deſijt, in beſtiam affectu immoderato mutatus. Qui autem ſeipſum in perpetuos Acherontis cruciatus, per iram, conijcit, quem magis punit, ſe, an eum, quem percutit? Et ſi vel maximè corpus alterius

occidit,

occidit, numquid sibi magis nocet, quem mittit in gehennā? Nonne hoc est esse furiosum?

Nihil æquè profuit iratis, quàm agnoscere, nihil inter insanum & iratum esse. Quanquam etiam magnum iræ remedium est dilatio, vt primùm eius feruor relanguescat, & caligo, quæ mentem premit, aut decidat, aut minùs densa sit. Sic iram pressit Dauid impetumque verborum silentio frænauit. Hinc de se dicere audet: *Turbatus sum, & non sum locutus.* Architas Tarentinus cùm in agro comperisset, quosdā è famulis admisisse quiddam indignum, sentiens se commotiorem in illos, nihil quidem tum fecit, tantùm abiens: *Fortunati,* inquit, *estis, quòd irascor vobis.* Socrates iratus filio aliquid delinquenti, nihil aliud dixit, quàm: *Ipse te coërce;* & seruo delinquenti; *cæderem te, nisi irascerer.* Quod ab illo & Plato didicit, qui famulo iratus, itidem dixit: *Loris te cæderem, ni iratus essem:* & alia vice, seruum castigare parans, interuenienti Xenocrati, *Flagella hunc puerum*, inquit, *nam ipse sum iratus.* Hoc Ethnici didicerunt, fecerunt, docuerunt. Turpe est, si idem facere nimis sibi graue judicent Christiani. Athenodoro, ob senectutem, flagitanti, sibi vt liceret

XVI. REMEDIA CONTRA IRAM.

Psal. 4. 5.

Cic. l. 4. Tusc. q. & S. Ambros. l. 1. offic. c. 21. Laërt. in vit. Socrat. Valer. Max. l 4 cap 1. Laërt. l. 3. Plutarch. in Vit. Augusti.

ceret redire domum, Augustus concessit. At cùm ille Cæsari dixisset: *Vale* (volens aliquod Philosopho dignum monumentum, apud illum, relinquere) adiecit: *Cæsar, cum iratus fueris, ne quid dixeris fecerisué prius quam Græcarum litterarum XXIV. nomina, apud te recensueris.* Cæsar, ob hoc dictum, Philosophi dexteram amplexus: *Adhuc*, inquit, *te præsente mihi opus est.* Tales monitores amemus, &, cùm non esse in vindictam præcipites iubemur, ne ob hoc ipsum, in monentem, irati vindicare nos cogitemus: iuxta illud: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Sic irascemur non peccantes. Sin iram sinamus semper in ianuis excubare, & molossi instar allatrare, inuadere, lacerare quosuis; in illud incidemus: *omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Hinc D. Ambrosius ab Imp. Theodosio præcipiti ira in Thessalonicenses acto, ac iam pœnitente legem condi voluit, vt, si qui ob maleficium Cæsaris edicto iuberentur occidi, id non nisi post trigesimum diem fieret; vt interea temporis maturo sedatoq; animo, ac rebus omnibus rationis libra perpensis, aut parcendum esse videretur, aut vindicandū. Idem, apud Poëtam parens *Ille*

Iac. 1. 19.
Matth. 5. 22.
Iac. 1. 20.
Ioan. Costerius in vit. S. Ambrosij.

*Ille monet, ne frana animo permitte calenti.* Statius lib. 8. Theb.
*Da spacium, tenuemq́; moram: malè cuncta ministrat*
*Impetus: hoc oro munus concede parenti.*

## *PARS TERTIA.*

IRÆ vt varij sunt effectus, ita & varia genera reperiuntur. Quemadmodum enim etiam *iratus* & *iracundus* non sunt idem, licet sæpe in vno conueniant, ita neque vna ira idem est, quod altera. Potest aliquis timidus esse, & non timere. Potest alius timere, qui timidus non est; sicut ebrius fieri potest, qui non est ebriosus. Ita *iratus potest non esse iracundus: iracundus potest aliquando iratus non esse. Cetera, quæ pluribus, apud Græcos, nominibus in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula non habent, præteribo,* ait Seneca: *etiamsi amarum nos, acerbumq́; dicimus, nec minùs stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperum: quæ omnia irarum differentiæ sunt. Inter hos morosum ponas licet, delicatum iracundiæ genus. Quædam enim sunt iræ, quæ intra clamorem considant; quædam non minùs pertinaces, quàm frequentes;*

XVII. AN IRA ET IRACVNDIA SINT IDEM? Aristot. 4 Ethic. Nicom. cap. 5. Senec. l. 1. de ira c. 4.

*quentes; quædam sæua manu, verbis parciores; quædam in verborum maledictorumq́ amaritudinem effusæ; quædam vltra querelas & auersiones non exeunt; quædam altæ grauesq́ sunt, & introrsus versæ.* Ad eundem modum Cicero ait: *In alijs iracundia dicitur, quæ ab ira differt, vt anxietas ab angore. Neque enim omnes sunt anxij, qui anguntur aliquando: neque anxij semper anguntur. vt inter ebrietatem & ebriositatem interest, aliudq́ est, esse amatorem, aliud amantem.* Itaque *iracundia est propensio quædam & habitus ad iram; ira cupiditas doloris reponendi.* Latiùs alij *iracundiam* longam iram esse volunt, & quasi *odium*. Ita enim de Claudio loquitur Suetonius: *Iræ atq́ iracundiæ conscius sibi, vtramq́ excusauit edicto, distinxitq́: pollicitus, alteram quidem breuem & innoxiam; alteram non iniustam fore.* Ac sanè ira inueterata, est odium, quod qui iracundiam vocare velit, non multum est cum eo de nomine litigandum, quia hæc sermone communi sæpe confunduntur. Nostri illam iram *celerem & acutã*, istam *maniam* vocant, de qua illud Aristoteles monet: *Iram immortalem, cum sis mortalis, non serua.*

Cic. lib. 4 qq. Tusc.

Aristot. lib. 1. de anima cap. 1.

Sueton. in Claud. c. 38.

Aristot. lib. 2. Rhetor. cap. 21.

XVIII. ODIVM NIHIL ES-

Dixi de *celeri* & *acuta*, quæ etsi *excandescentia* est quædam, ac ira velut incipiens & nascens

nascens, quanta tamen in damna præcipitet, in exemplo demonstraui. Est verò nihilominus, longè minoris culpæ ac reprehensionis: quia & rationi sæpe non relinquit tempus deliberandi & velut imber transit; & citò redit ad tranquillitatem, & denique SE ALIVD, QVAM INVETERATAM IRAM

*Quò quisque est maior, magis est placabilis ira.*

*Non verò audiendi sunt, qui grauiter inimicis irascendum putant, idq́; magni animi & fortis viri esse credunt*, ait Tullius. Cic. lib. 1. de offic. Immo fortis viri est, ab ira non vinci, & in prouerbio habetur: *Boni viri citò moritur iracundia*: facilè enim in eo charitas bene cogitat: cùm interea *odium sit cupiditas quædam, vt alijs malè sit, cum progressu aliquo & incremento*; seu ira inueterata, & plena vindictæ, obseruans vltionis tempus. In qua proinde meditatè fiunt, quæ alteri mala cogitantur; quæq́ue radices agit, & se placari non sinit; neq; enim vt imber citò transit, sed, vt stagnum quoddam putrescit in bufones ac serpentes. Plutarch. in moral. *Vt non magno negotio flamma extinguitur in pilis leporinis, aut scirpis, aut stipulis accendi cœpta; at non item, si solida corripuerit: sic ira primùm gliscens facilè vel ioco, vel risu compescitur, cùm videmus fumantem adhuc: quòd si processerit, vix*

*vllo*

Valer. l. 9 *vllo negotio poßit extingui.* Peiorem esse hunc irascendi modum etiam Valerius affirmat, dum ait: *Ira quoque & odium, in pectoribus humanis, magnos fluctus excitant: procursu celerior illa, nocendi cupidine, hoc pertinacius.* Pulcherrimè more suo, S. Ioannes Chrysostomus

S. Chrys. hom. 24. *Iratus animus,* ait, *est similis foro cuidam pleno tumultu, vbi multus est euntium, & redeuntium clamor, camelorum ac asinorum fremitus, argentariorum & ærariorum vtrinq; cudentium strepitus. At mitis mens, in solitudine montis vertici similis est, auram quidem habentis tenuẽ, purum verò radium, pura fontium fluenta, multasq; florum amœnitates:* His amœnitatibus semper carent, apud quos ira & tristitia non citò cadunt. Semper enim væsaniunt, semper solicitè querunt occasionem se vindicandi; nec vnquam sapiunt.

S. Greg. lib. 5. moral. c. 31. *Per iram,* inquit S. Gregorius, *sapientia perditur, vt quid, quoué ordine agendum sit, omnino nesciatur. Ira,* ait

Prou. 22. 24. *Salomon, in sinu stulti requiescit: Per iram vita amittitur, etiamsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum est; Ira perdit etiam prudentes. Per*

Iac. 1. 20. *iram iustitia relinquitur, sicut scriptum: Ira viri iustitiam Dei non operatur. Per iram gratia*

Prou. 22. 24. *vitæ socialis amittitur: Noli,* inquit Sapiens,

Prou. 16. 28. *esse aßiduus cum homine iracundo. Per iram concordia*

*cordia rumpitur, sicut scriptũ est : Vir animosus* (seu cupidus circa opiniones tuendas) *suscitat rixas. Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est : Sol non occidat super iracundiam vestram; Per iram S. Spiritus splendor excutitur : quia contra scriptum est : super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Quis autem spiritus requiescat super odia nutrientem, & alta mente iras vindictasque meditantem, in exemplo memorabili perpendite, atque intelligite, quàm prope hæc ira accedat ad illum de quo dicitur : *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam* : magnam duratione; à condito enim orbe generi humano iratus est: magnam voluntate; quidquid enim mali inferre potest, conatur inferre : magnam damnis & effectu; nocuit enim toti humanæ genti, & corpori pariter atque animæ graues plagas inflixit. Hanc odiosam iram qui imitantur, *reos* esse *iudicio* sequens historia docet.

Ep' es. 4. 31.
Isa. 66. 2.
Apoc. 12. 12.

XIX. EXEMPLVM ODII INVETERATI.
Philipp. Camerar.

Curiosus Iurisconsultus, author viris Principibus, de multa lectione historica, acceptus: heterodoxæ quidem fidei, sed malorum facinorum non indiligens, nec semper maleuolus narrator Philippus Camerarius recenset, cùm Româ, per Picenum, iter vnà cum

alijs

In operis horar. succisiu. Cent. 1. c. 84.

alijs faceret, transeundum sibi fuisse, per oppidum, quod hodie *Terni* nomen habet, veteribus *Interamna Vmbriæ* est appellatum; situm in valle amœnissima & fertilissima, velut inter ramos *Naris* fluuij. Municipium vetus Romani populi fuisse, plures antiquæ marmorum inscriptiones demonstrant; cuius Cicero, Liuius, Plinius, & alij meminerunt. Quippe aliam quoque Interamnam, ad Lirim fluuium, in Latio, coloniã Romanorum olim fuisse, eamq; veteres Interamnam Lirinam appellasse, ad discrimen municipij, in Vmbria, eiusdem nominis cum illa priùs dictâ, Pighius annotauit. Igitur in ingressu Interamnæ illius, supra oppidi portam, in excelsa turri, ait se author ille conspexisse tabulam, in qua affixi erant, vt quidem è terra procul cernentibus primo intuitu videbatur, complures vespertiliones. Prodest ignota loca peragrantibus, sciscitari frequenter: multa enim resciunt interrogantes, quæ taciturni præterirent. Itaq; cum etiam huic authori insolitum esset, ambigeretque, quid in tam conspicuo loco, atque in tabula illa oculorũ curiositati proponeretur, quidam exposuit tragicũ facinus, quod, paulo antè eum diem, contigisset. Fuerunt, inquiebat, in hoc oppido,

pido, duæ prænobiles primariæque familiæ, ambæ, vt sanguine præstantes, ita altos etiam spiritus gerebant; & animos illis addebant opes: nam & diuitijs, & rerum omnium abundantia potentes erant. Vt ergo facilè, inter eminentes, æmulatio, lites, innumeræque caussæ suspicionum atque odiorum existunt, ita longo tempore, hæ duæ familiæ capitales inimicitias inter se exercuêre. Grauissima est & plus quàm plumbea ira in æternum odium degenerans, quæ neque moritur quidem cum irascente, sed etiam posteros, vt Hannibalem parens, adiurat, vt nunquam velint ignoscere. Itaque per multas iam ætates duæ domus istæ inter se se collidebantur, odiumque factum est hæreditarium; neque jam adultis oblatum, sed ingeneratum nascituris; &, ne flaccesceret, assiduo partium sanguine irrigatum. Multis enim hic affectus subiecitcultrum victimis. Rarò mensis exijt, quin, ex vna alteráue parte, aut vulnera, aut funera numerarentur. Plurimi quotannis vtrinque interfecti, plurimi cicatricibus fædati velut stigmate aduersariorum notati fuerunt. Nemo, sine armis, in publicum processit: nemo ex illa gente hilaris domum rediuit, nisi qui rediret

cum

cum triumpho, quòd aliquem sauciasset, aut mactasset. Tantus est iræ ignis, vt etiam sæpe sanguine ipso non possit extingui. Quare non satis erat, tot hostias singillatim cecidisse: hecatombas sitiebant: stirpem totam vel agminatim extinguere aduersariorum, vel cateruatim suâ prodigere gestiebant. Audite, quanta in incendia erumpat furor, dum gliscit, in scintilla non extinctus. Altera harum familiarum vindictâ flagrans, conuiuij, an alterius negotij titulo, conuenit in vnam domum. Ibi, inimicitiarum commemorata diuturnitate, ac cædibus vtrinque factis, ordine recensitis; multis etiam, pro animi impetu, narratione auctis, nouis ignibus omnes exæstuarunt, atque in medium consultârunt: An non tandem compendium fieri posset odiorum? Quid, inquiebant, proficimus, si per insidias singulos venamur? quid iuuat, vnum è medio tollere, dum interea decem subnascuntur? Et quando tandem, hoc pacto, stirps tota à nobis eradicabitur? Non satis, immo nimis tardè irascitur, qui vindictam transmittit ad nepotes. Per sicarios quoque res lentè geritur. Qui vno conflictu animoso totas messes possent facere, magnum quid se fecisse putant, si dicantur,

vnum

vnum è medio ſuſtuliſſe. Audeamus aliquid animo dignum generoſo. Manus iungamus. duplex ſplendor erit, ſi purpuream prætextam ſanguine aſpergamus. Nemo ſuis deſiderijs meliùs ſatisfacit, quàm per ſeipſum. Si primis hoſtijs non litabimus, nos ipſi hoſtiæ ſuccidaneæ erimus. Inulti non cademus, morientibus ſolatio erit, ſaltem ex hoſtibus etiam non paucos nobiſcum occubuiſſe. Sint alij vindicandi modi, peſſimus ijs, quos oderis, optimus tibi eſt, ſi verè odiſti. Eſto, periculum immineat, contemnendum eſt. Nunquam aliquid egregium audet, qui periculũ timet. Maius eſt facinus, quod pluris conſtat. *Pigrum, quin immo iners videtur, ſudore acquirere, quod poſsis ſanguine parare.* Ita animis incenſis, ſtatuerunt, vna vice, finire, quod iam tot luſtris, per partes, quærebatur. Nempe vniuerſam familiam aduerſariorum, audaci impetu, aggrediendam atque funditus delendam, vna voce, omnes conclamauerunt. In hanc rem, è vicinis agris clientelisq; ſuis, magnas hominum cateruas; alios quidem ſub alio prætextu, alios verò clam ad ſe, in oppidum conuenire iuſſerunt. Hos domi quiſque ſuæ idoneis telis armauit, ſicarijsque (quos *Pranos* inibi vocant) intermiſtos,

mistos, in procinctu stare voluit paratos, ad egregium aliquod facinus, signo dato, perpetrandum. Ah quid non audet ira! quid furor non potest, si sit armatus? Decesserat è terris dies, & subierat iam, criminum fautrix idonea, tenebrosa nox; cùm, captatâ occasione, horaque destinatâ, vndique armatorum cohortes, magno silentio euocatos in Prætorium adduxerunt. Ibi præfectum oppidi, nihil tale metuentem obruerunt, atque exiguo labore, in potestatem suam redegerunt. Quem innocentiam suam obtendentem, omnia protestantem, cum minis, si clamaret, captum (relictis aliquot armatis, ad prætorium custodiendum, ne vigiles signum tumultûs ciuibus dare possent) quàm attentissimè secum traxerunt ad ædes inimicas, ceteraque multitudine in angiportu subsistere tantisper iussa, decem duntaxat, velut domestici eius, prætorem porrò perduxerunt. Ad fores vbi ventum, stricto vndiq; ferro pręsentem ei necem comminati sunt, nisi illico, prætoriâ auctoritate, sibi ædes præciperet reserari, diceretque, rem seriam incidisse, cum tota familia, extemplo pertractandam. Quid non potest metus mortis, præsertim inter manus tam temerarias

merarias? Nihil ergo mirum, si & Prætor ille sese in insidias tam periculosas delapsum animaduertens, sicaque iam ad pectus admotâ, perterrefactus, quod cogebatur, fecit. Facilè videbat, quò tempestas hæc tenderet; sed infra suum officium esse putauit, morte sua, alios in vita conseruare. Paruit itaque, & pro imperio, iussit ædium ianuas aperiri. Qui intus erant, cùm è fenestris Prætorem, vel de voce, vel de corporis habitu, & per tenebras, cognouissent, nullasque illo præsente insidias timerent, portas omnes ferratis alioqui postibus munitas, & quàm diligentissimè obseratas patefecerunt: vtque via, ad cladem futuram, clarior esset, etiam cum facibus obuiam progressi, venientem per quam honorificè exceperunt. O quàm sæpe ignari sumus fati instantis! Quoties exitio nostro ianuam ipsi aperimus! Aditu vix patefacto, signum subsidiarij acceperunt, atque è latebris gladiatorio animo adfuerunt, &, velut vrbe capta, in inquilinos cœperunt sæuire. Conuentum autem erat, vt prætor in vestibulo, custodibus adhibitis, teneretur; alij omnes in domum irruerent, quorum primi erant, qui prima familiæ capita dicebantur. Vidisses obstupescere famulos, exalbescere

heros, clamare ancillas, dominas eiulare, trepidare totam familiam; &, jam ante ictum, formidine vulneratam. Sed longè funestius spectaculum erat, videre crudelitatis patratores, Furiarum instar, per totam domum, discurrentes. Illi enim planè Satanica rabie instigati, quotquot mortales repererunt, immanissimis modis, mactatos interemerunt, nullo aut ætatis, aut sexus discrimine habito. Non illos molliuit innocentia infantum, non puerorum puellarumúe blandæ preces flexerunt; non mouerunt supplices matronæ crinibus solum verrentes, quæ maritis, inter tot enses, cruentatis, genibus nixæ, passis capillis, vbera manibus planxerunt, atque vitæ veniam desperantes exululârunt. Nec senibus, quod alioqui parum supererat vitæ, relictum est. Quin & famuli cæsi sunt, quorum vnica noxa erat, apud inimicos latronum, seruijsse. Atque, vt sciamus, quam impotens animi sit furor, postquam nullus hominum supererat, qui cæderetur, in stabulo, quotquot generosiores equi putabantur, ferro cadere debebant, vt iram satiaret victimarum multitudo. Scenâ in hunc modum peractâ, multis adhuc palpitantibus, pluribus in frusta sectis, ac velut in macello iacentibus, Prætorem,

torem, nouo incusso metu, adegerunt ad portas oppidi recludendas. Quod ille, pauore attonitus, ac de sua salute incertus, illicò quanquã inuitus fecit. Tutissimum reis asylum est fuga. Quippe audacissimũ quemque, scelere patrato, inuadit metus; terrent pericula, premit instans à tergo vindicta. Postquam igitur ex oppido euasêre, proximum fuit, vt varia sibi latibula quæritarent. Alij diuersos maris portus petierunt; alij, apud fideliores amicos, sperârunt se consecuturos securitatem. Sed mali principij malus est finis. Illi, beneficio interiecti maris, supplicio, non exilio, se subduxerunt; isti, tam horribilis carnificinæ rumore vulgato, perquisiti, plerique reperti, atque è latibulis extracti, in vincula dati, tormentis examinati, supplicijs meritis affecti, membratimque pœna talionis deartuati concisique sunt. Abscissæ manus & præsecti pedes eorum, in tabula, quam intrantes oppidum, in turri supra portam, intuentur, suffixi, hominum oculis, in facinoris puniti exemplum, exponuntur, *vt documentum omnium sint; & ,qui viui noluerunt prodesse, morte certè eorum Respublica vtatur.*

XX. REMEDIA CONTRA IRAM.

Exposui & ego hanc historiam, in exemplum, in quo, quid ira possit, graphice demonstratur. Neque enim tantùm *effrænes linguæ, ora incustodita, contumeliæ, probra, verbera, & alia eiusmodi sunt iræ fructus*; sed etiam, vt S. Basilius ait: *ob iram, ensis acuitur, mors homini ex homine venit; non eis senectus venerabilis, non vita virtus, non generis propinquitas, non parentes. Quin & maximum se in malum sæpius conyciunt, & studio vindicandi seipsos negligunt. Nam & omni fera venenata impudentiùs ruunt; nec priùs desistunt, quam magno & intolerabili malo animum exatiarint. Membrorum mutilationes, vulnera, mortes, præmium pugnæ ferunt.* Sicut tulerunt isti, qui, quod alijs fecerunt, passi sunt. Nam membratim concisi, in sublimi tabula pependerunt, & sole adusti, ob altitudinem turris, inscijs tragœdiæ illius, visi sunt esse vespertiliones. Veri sanè vespertiliones, quia vespere, immo nocte vsi sunt, vt in alienas ædes & neces inuolarent. At quid cum vespertilionibus hos comparo? qui feritate atque immanitate superant leopardos? Homine, dum in recto animi habitu est, nihil est mitius; cum irâ vincitur, nihil crudelius, infestius nihil. *Homo in adiutorium mutuum generatus est: ira in exitium.*

S. Basil. hom. 10 de ira.

Vide Plutarchi li bellum de cohibenda ira.

Senec lib. 1. de ira c. 5.

*exitium. Hic congregari vult, illa discedere: hic prodesse, illa nocere: hic etiam ignotis succurrere, illa etiam charissimos petere: hic aliorum commodis vel impendere se paratus est: ira in periculum, dummodò deducat, descendere;* immo descendere in omnem barbariem ac furorem; adeò vt nemo tam humilis sit, qui pœnam vel summi hominis sperare non audeat. ad nocendum enim potens est, quisquis non ampliùs timet, præ ira, ne sibi noceatur; quæ ita perturbat, vt iratus quà noceat tantùm, non quà caueat, aspiciat. Quin superat belluam, qui furore efferatur; vt olim videre fuit, in Locrensibus, qui iniuria publica affecti, de vxore & liberis Dionysij iunioris atrocissimè se se vindicauerunt. Etenim cùm, miris modis, in eos sæuijssent, tandem contumeliarum numero fatigati magis, quàm satiati, acubus intra vngues & carnem digitorum insertis dirissimo puncturarum cruciatu, eos interemerunt. Postea, conscissa minutatim carne, & ossibus occisorum in mortario contusis, eos omnes Diris deuouerunt, qui non aliquid inde gustauissent. Quidquid supererat, in pistrinum tulerunt, vt molis obtritum, ab ijs, qui fruges molebant, deuoraretur. Vides rabiem carniuorarum belluarum?

Athenæ l. 12. dipnos, c. 19.

rum? Sat nobis caussæ esset, ad iræ detestationem, quòd ex homine bestiam faciat; sat vt citò atque in principijs suis extinguatur, antè, quàm indomita fiat, sicut incendium, quod leui tactu potest impediri, si in scintilla sopiatur. Quia *hæc est natura iræ*: ait Venerabilis Beda, *vt dilata languescat, & pereat: prolata verò magis ac magis conflagret.* Nempe quemadmodum nauis ventis agitata Ponto submergitur, nisi eam gubernator, sua industria, regat; sic iracundia hominem, ad deterrima quæque rapit, nisi ei ratio frenum inijciat ac moderetur. Sapiens est igitur præceptum, vt si ira subitò nobis erumpit, non satis vigilantibus, saltem eam diutiùs fouere, ac retinere caueamus. Rectè ex Euripide tradidit Maximus monachus: sicut corpus nostrum mortale est: sic conuenire, vt iram habeat mortalem is, qui temperantia vti nouerit. Hinc Apostolus scripsit: *Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo.* Et. S. Augustinus ait: *Subrepit, dum nulli irascenti ira sua videtur iniusta: ita enim inueterascens ira fit odium, dum quasi iusti doloris admixta dulcedo diutiùs eam in vase detinet, donec totum acescat, vasq; corrumpat. Quapropter multò meliùs nec iuste cuiquam irascimur,* quam

Venerab. Beda l. 2. super Parab.

Maxim. serm. 19.

Ephes. 4. 26.

S. Augustin. ep. 100 ad Profuturam.

*quàm velut iustè irascendo in alicuius odium iræ occulta facilitate dilabimur. In recipiendis enim hospitibus ignotis, ista solemus dicere, multò esse melius, malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cauemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est. Nam incomparabiliter salubrius est, etiã ira iustæ pulsanti non aperire penetrale cordis, quam admittere non facilè recessura, & peruenturam de surculo ad trabem. Audet quippe impudenter etiam crescere citiùs, quam putatur. Non enim erubescit in tenebris, cùm super eam sol occiderit.* Et memoria quò diuturnior, eò firmior est iniuriarum. Hinc Iustinianus à Leone regno motus & naribus truncatus, recepto imperio, quoties defluentis rheumatis guttam manu detersit, toties aliquem ex ijs, qui partes aduersarij, contra illum, secuti fuerant, præcepit iugulari. In vultu habuit læsionis monimentum, ea de caussa non potuit offensæ obliuisci. Quid fieret, si Christus ita nobiscum ageret, qui manibus pedibusq; & ipsi etiam pectori suo identidem videt inscriptas cicatrices? & quidem nostra immanitate inscriptas?

## *PARS QVARTA.*

XXI. IRATVS FVRIAE SIMILIS.

NON inſcitè veteres finxerunt tres Furias, tortis anguibus, crinium loco, incinctas,

Catull. de nupt. Pelei & Thet.

*Eumenides, quibus anguineo redimita capillo*
*Frons expirantis præportat pectoris iras.*

ſiquidem è crinibus, de cauda equina, aut cæſarie anus abruptis, vel lapſis, aiunt, angues, aut anguillas naſci, ſi in aquam ſtagnantem inijciantur, ac ſub limo putreſcentes intumeſcant. Sed multò veriùs hæc moribus accõmodantur. Quippe, etiam in diuinis litteris, capilli ſignificant hominum cogitationes, quæ iratæ ſi perſiſtant, in ſerpentes degenerant, & virulenta conſilia ſolent generare. Eiuſcemodi conſilia oſtendimus, in exemplis ſatis truculentis, in quibus vtique facem ſanguine madefactam, fluidoque cruore rubentem pallam geſtat Erinnys, quam

Ouid. l.4. Metam.

*luctus comitatur euntem,*
*Et pauor, & terror, trepidoq; inſania vultu.*

Herodot. in Thalia.

Sunt enim irâ flagrantes terribiles; vulnera & mortes ferunt, & in totas ſæpe familias, immo in ſuam gentẽ luctũ inferunt. Quemadmodũ Cambyſes fertur furijs incenſus vniuerſam prope familiã deleuiſſe. Qua de cauſſa me-

sa metuuntur. Sed metuuntur ab ijs, qui in Christi schola nondum didicerunt vitam contemnere. Christus aliter docuit, cùm dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Certe multò æquius est, hunc timere; qui vtique est Deus iustissimè eos applaudens in Acherontem, qui illum non timent. Suprema hæc est potestas, neque competit, nisi supremo iudici, soli, de jure, terribili & metuendo. Matth. 10. 28.

XXII. IRATVS ETIAM ANIMAE ALTERIVS EXITIVM STRVIT.

Affectant tamen eam potestatem, quos ira facit insanos. Nam ita nonnulli odijs exardescunt, vt, contra jus & fas, tentent, eorum, quos occisissimos volunt, *& animam, & corpus perdere in gehennam:* neque tentent tantùm, verùm etiam reipsa faciant. An non hi meritò timendi, fugiendi, execrandi? Si enim *melius est habitare, in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda*, quis eum non declinet, qui non verba tantùm ingerit, nec rixas modò commouet, vt mulier, sed etiam necem meditatur; & quidem ita meditatur, vt non sit contentus occidere corpus, nisi vnà *& animam perdat in gehennam?* Quantæ iræ vindicta est, in homine, hominē Prou. 21. 19.

ciusdem

eiuſdem ſecum naturæ, & ad eandem ſecum Dei ſimilitudinem factum, non hac mortali duntaxat vita priuare ſed etiam vita priuare ſempiterna, eumque mittere ad Orcum, & ignes ſemper arſuros? Et tamen hoc faciunt multi, velut Tiſiphone, aut Alecto aliqua, furiati, non jam cacodæmonũ imitatores tantùm, ſed etiam cacodæmones ipſi. Vultis & huius rei exemplum? Innumera ſunt quotidie eorum, qui nihil penſi habent, ſiue ad cœlum, ſiue ad Orcum ituros occidant. Quin eò creſcunt odia, vt cum morte conentur alteri inferre æterna ſupplicia, nullum vindictæ genus ſufficiens arbitrantes, niſi quod ſit ſummum, & quodammodo infinitum. De quo tam atroci, & verè diabolicæ malitiæ odio hiſtoriam fide, non homine dignam accipite.

XXIII. IRAE SVMMAE EXEMPLVM. Chapitre dishuictume & Ioan. Bodin. in dæmono-

In libro enim Gallico, cuius titulus eſt: *Traitte preparate al' apologie pour Herodote*, recenſet author facinus, de Italo quodã, quale vix credi poteſt, hominem cogitaſſe, multò minùs, exuta omni humanitate, perfeciſſe. Hunc Italum (Bodinus Mediolanenſem vocat) author ait, cum homine diu admodum familiari in diſſidium veniſſe. Illud, cùm paulatim gliſceret, in odium excreuit capitale.

Magna

Magna incendia, nisi magna vi, non extinguuntur; neq; magna odia, nisi magnis vindictis, possunt saturari. Non ergo contentus erat Italus ille, verbis increpare eum, à quo se opere & facto læsum existimabat; aut magistratui illum obijcere puniendum; ipse & judex & vindex, & carnifex esse voluit; & eum, modo non vulgari, occidere. Ac, ne quis præcipitem fuisse censeat, etsi quotidie occasionem captabat; immo, singulis pænè horis, eius necandi consilia agitabat; integros tamen decem annos, æstuantem in animo iram sustinuit; quasi tanto illi tempore opus esset, ad nefariam vindictæ cupiditatem explendam, quanto Græcis opus fuit, ad Troiam expugnandam. Nempe sæpius quidem inimicum habuisset in manu, sed non prout ei flagrans odium dictauit. Differre cædem maluit, vt à tempore exigeret vsuram crudelitatis. Vtinam alter tam in cauendo, quàm iste in nocendo attentus fuisset! vtinã legisset, vel meminisset illud Siracidæ: *Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius: etsi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne fortè conuersus ad locum*

mania & lib. 4. de Rep. c. 1.

Eccli. 12. 10.

*locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in nouißimo agnoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris.* Sed mundus vult decipi; & plurimi, qui fugiunt fidissimorum consortia, amant infames scopulos, & pessimorum sibique insidiantium se sinunt decipi familiaritate. Quod & isti euenit. Siquidem vbi insidiator vidit, vim omnem manifestam, infra vota sua esse, & occulto astu plus aduersario noceri posse, quàm aperta manu, cœpit ad artes se conuertere hominum malè Politicorum. Primùm eum iucundo vultu, & comibus oculis aspexit transeuntem. Mox etiam voce blanda salutauit. quin & vrbano gestu se se illi videbatur submittere atque commendare, tandem alloquio etiam, se se profitebatur illi totum conciliatum. Quem non falleret tantæ persona humanitatis, præsertim gaudentem, se tanto periculo defunctum esse, quanto hoste ac insidiatore liberatum? Ergo igitur tot blanditijs persuasus, tot captus illecebris, censuit humanitatem humanitate compensandam; jamque sine metu ei obuiam iuit, neque secus, atque ante annos decem, cum eo familiariter egit: ratus vtique, tanto temporis interuallo, offensæ mentis æstum extingui potuisse. Vt qui sicam,

ita

Ita qui iram abſcondit, maius malum machinatur; & periculoſius eſt vtique, meditatè, quàm temerè feriri. Quare dum in hunc modum, amicitia vetus videtur coaluiſſe; dum nulla ſuſpicio clypeum; nullus metus ſuggerit cautionem; dum galea ponitur, dum hoſti creditur; optatiſſima eidem occaſio offertur verberandi. Etenim, inter hanc familiaritatem, veteranus inſidiator, obſeruata ſecreti ab arbitris omnibus loci opportunitate, ex improuiſo, & nihil minùs opinantem à tergo aggreditur, ſubiectoque pede, retro actum humi proſternit, iacentique altero genu ſuperincumbens, pugionem vagina liberat, manuque in altum ſublata, mortem præſentem minitans, iam tandem vindicandi tempus adeſſe, ait; iram diu preſſam aliquando demum occaſionem inueniſſe erumpendi; meminiſſe illum, quid ante decenniũ fecerit, id alta mente ſepultum, tandem nimium vrens ebullire in vindictam, vno verbo, moriendum illi eſſe. Expalluit, ad hæc, proſtratus, oppreſſumque ſe videns, ad vltimas preces confugit, per ſuperos omnes rogitans, ne iræ tantùm vellet indulgere; eſſe ſe hominem; eſſe amicum: fidei illius, poſt tot inſidias animaduerſas, concredidiſſe: deprecari

precari culpam; supplicem se esse, pro vita; promittere omnem huius iniuriæ obliuionē, fidemque & fidelitatem æternam spondere. Audita hac oratione, alter vultum mutauit, nihilque diu locutus (quasi exoratus, etiam mentem mutauisset) tandem in huiuscemodi verba illi respondit: *Fateor, mouit me tua isthæc deprecatio, & vitam tibi donabo; sed ea solùm conditione: Si Deo, si Diuis, si sanctis Sacramentis, si omnibus diuinis beneficijs ad animarum salutem concessis renunciaueris; Morieris, ni hæc actutum feceris; Deo negato, viues.* Durissima hæc misero illi viro visa est conditio, & iniquissima, simulque non sine grauissimo impietatis scelere implenda; metu tamen mortis, & intempestiuo vitæ amore, passus est se vinci; &, licet inuitus, morem aduersario gessit. Sub cultro igitur constitutus, hac formula Superis valedixit. *Ego N. Deo, & adeò SS. Trinitati, ego Christo in cruce passo, ego Matri Christi, ego Angelis, Apostolis, Diuisq; omnibus; ego Baptismo omnibusq; Sacramentis à Christo institutis renuncio.* Dixit, & vixit. Nam, audita hac renunciatione, consceleratissimus ille parricida, immo Stygius satelles (neq; enim dignus est, qui homo appelletur) id, quod optauerat destinaueratque, assequutus,

tus, illico pugionem in pectus impressit, supplicemque confodiens, ad Orcum transmisit. Poterat hoc esse summum impietatis atque immanitatis fastigium; sed inuenit Tartareum ingenium, quē adderet tantæ impietati colophonem. Neque enim desperatum caput, contentum fuit, facinus adeò nefandū perpetrasse, sed ausum est præterea iactanter gloriari, ac dicere, sibi adeò exoptatam ac suauem, de suo inimico, vindictam obtigisse, vt maiorem sperare non potuisset: nec enim animam se illi solam è corpore exturbasse, sed etiam, abiuratione tam dira, effecisse, vt recto itinere descenderet ad Acherontem, & cruciatus semper duraturos. Qua vtique vindicta non potest crudelior excogitari, etiam si cacodæmones omnes in commune concilium conuenirent. Excogitauit autem eam Ira, seu odium, quod est Ira inueterata.

XXIV. IRA HOMINEM EVERTIT. Quid autem, putatis, eiusmodi truculentiam apud diuinum tribunal mereri? D. certè Hieronymus ait: *Sicut misericordia sursum æstuat ad Deum; ita deorsum crudelitas in infernum abijcit.* Quin & Plato Ethnicus ait: *Crudelitas in Tartari barathrum improbos abijcit, vnde nunquam egrediuntur.* Nulla res adeò

S. Hieronym. in 12. Proph.

æternam damnationem prouocat, vti alterũ obijcere æternæ damnationi, quam vt euadere possemus, Deus filium suum misit, vt extrema pro nobis supplicia pateretur. Eum imitari Christianum, immo humanum est, quia *Deus*, vt Lactantius loquitur, *qui ceteris animantibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursu & periculo tutiora generauit. Hominẽ verò, quia nudum fragilemq́; formauit, vt eum sapientia potiùs instrueret, dedit ei, præter cetera, hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq́; omnia pericula, & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur hominum inter se vinculum est, humanitas: quod qui disruperit, nefarius & parricida existimandus est.* Immo non homo, sed bestia, sed tigris, sed diabolus, qui & ipse circuit quærens non tam, quo modo corpus, in tumbam, quàm quomodo animas in gehennam perdat.

Lactant. l. 6. de vero cult. cap. 10.

XXV. SCANDALIZANTIVM, IMPRECANTIVM, GRASSANTIVM, IN PANTICI-

Indignamini, vt video, hominem repertum esse, qui tam immane & inhumanum flagitium ausus sit committere? ignoscite mihi, si ostendero, multos hodieque inueniri illi pares, qui homines rectè dici non possint, cùm itidem non tantùm sæuiant, ritu belluarum, sed odijs ardeant diabolorum. Neque

que enim, vt ſupra innui, ſatiantur, ſi inimicum opibus ſpolient, ſi fortunis euertant, ſi nomine bono exuant; ſi in vincula & carceres compingant; neque verò etiam, ſi ſaucient, ſi trucident. Vltra furor eorum exardeſcit; ad animas quoque perdendas extenditur. Neque id enim illi ſoli faciunt, qui alijs ſcandalo ſunt, eoſq; ſecum in omne genus criminum trahunt; atque ex innocentibus nocentes; è caſtis ſcortatores; è pijs impios; ex Angelis diabolos faciunt; itaque moribus ſuis illos inficiunt, vt qui antè inhoneſta ne nominari quidem, coram ſe ſuſtinuerunt, nunc deteſtandam voluptatem omnibus ianuis admittant: quibus melius eſſet, ſi *mola aſinaria è collo eorum ſuſpenderetur*, atque in mare Creticum portarentur: ſed & irati quoque quid aliud agunt, quando alijs optant, & imprecantur, vt diſpereant? vt ſubita morte ſublati, ſine cruce & luce moriantur? vt à mille diabolis in Stygem abripiantur? Sed hæc vota ſunt tantùm; facta quoque paria poſſunt demonſtrari. Quid enim aliud agunt, qui alios, gladio, vel ſcloppo, ex improuiſo, atq; ad moriendum minimè paratos, vel ſua manu, vel per *Aſſaſinos* aggrediuntur; &, vt paucos nummos, aut

DARVM MALITIA.

Matth. 18. 6.

exiguas veſtes rapiant, non dubitant miſerum viatorem, vita, & æterna ſalute ſpoliare? Nam quem tu, ô non jam miles, ſed latro, crumenæ cauſſa, occidis, is non vitam tantùm, ſed, ſi imparatũ occupas, animam quoque perdit: quam ſeruaſſet fortaſſe, ſi, per te, pœnitentiæ agendæ tempus habuiſſet. Vno igitur ictu duplicem illi vitam adimis, neque in terra eum ſinens viuere, neque ad cœlum venire. Magna eſt vitæ huius luciſque iactura, ob quam illatam, homicidæ in rotam aguntur, ſed nihili hæc iactura facienda eſt, ſi cum æternæ vitæ amiſſione comparetur. Quo damno etiã ipſos ſuos liberos afficiunt matres, quæ natos vix in lucem editos, Sacramento Baptiſmi nondum luſtratos, inſtar Medeæ, necant, &, eliſo cerebro, vel acu impreſſa, vel abſciſſo iugulo, vel gutture ſtrangulato, in flumina, aut cloacas abijciunt. Quod quanquam non faciunt ira, ſed pudore ac infamiæ, vel alio metu ſuadente, tanto tamen ſunt crudeliores; quia Orco conſecrant, quos cœlo pepererunt; meritò proinde, vt Aſſaſini eorumque inſtigatores, ab Eccleſia excommunicatæ.

XXVI. DVELLORVM FVRIOSA IRA.

At, ne quis milites tantùm & viarum inſeſſores (qui itidem ex prædæ, non ex vindi-

ctæ

ctæ cupiditate plerumque inuadunt, quos in via non satis comitatos nanciscuntur) arbitretur, hoc se tam Satanico latrocinandi genere Deo execrandos reddere; incidunt in eandem immanitatem iuuenes, viri, senes, & illi, qui paulo priùs hilariter colluserunt, compotarunt, atque inter nuptiales epulas, se se mutuò dilectissimos fratres appellauerunt. Vnum dictum, vnus iocus, vnus nutus, vna suspicio illos ad arma excitat: surgunt, currunt, prouocant, enses nudant; globos mutant, nec ante ex arena discedunt, quàm alteruter ex equo cadat mortuus: nec rarò vterq; cadit. Quo isti eunt? rectis lineis feruntur in infernum. Ergo audite vos temerarij prouocatores; audite duellatores, quantam vos ad crudelitatem impellat furor, in quo vos laudem, & nominis, aut nobilitatis vestræ honorem positum existimatis. Combibones vestros, quos vel prouocatis, vel prouocantes duello petitis, non tantùm vultis occisissimos, sed etiam occisos morte secunda damnatis, & mittitis non in sepulchrum duntaxat, sed etiam in infernum. Vt enim in vino rixæ frequenter existunt; ita non difficilè est cogitare, quò mittantur, qui ebrij, qui luxuriosi, qui irati & vindicta ac cædibus

2. Reg. 13. 28. perpetrandis pleni occiduntur. Sic olim *præceperat Absalom pueris suis, dicens: Obseruate, cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite.* Talia etiã sunt consilia & mandata diabolorum, quibus certum est, eos, qui in ebrietate, in impudicitia, in flagitijs constituti necantur, vnà cum animabus suis interire. Videte ergo, an non horum occisores, & animam simul & corpus perdant in gehennam? præsertim duellatores. Quod si autem adhuc aliquid grandius audire sustinetis, non in alios tantùm, sed in semetipsos etiam isti, tam Acheronticis modis, & furiosâ insaniâ sæuiunt. Accidit enim sæpius, vt ille cadat, qui prouocauit. Quò cadat, facilè est cogitare. Nam etsi duellum, seu *pugna duorum ex condicto*, ad defendendam propriam, contra aggressorem, vitam, aut quando bellum resoluitur in duellum, vt in Dauid & Goliath videre fuit, licita sit; tamen neque ad vires & generositatem ostentandam; neque ad lites terminandas; neque ad honorem defendendum, ignominiamque, apud imperitos æstimatores, euitandam; neque ad purgationem, licitè & sine peccato, suscipitur. Hinc omne duellum ex condicto subiectum est pœnis

Vincent. Filliutius tract. 29. in 5. præcept decal.

1. Reg. 17.

nis. Laici duellantes excommunicantur: clerici excõmunicantur & suspenduntur: quin & prouocantes ad duellum, effectu non secuto, vti & acceptantes incidunt in excommunicationem. Nunquid hoc est & suam animam vita spirituali priuare, & alienam? Quisquis igitur in tali duello vel occidit, vel occiditur, vno vulnere & corpus & animam perdit. Huc ira ducit, si fræno non cohibeatur.

XXVII. SE IPSOS OCCIDENTIVM INSANIA.

Sed his omnibus longè amentiùs sibi fortunisq; suis irascuntur, qui impatientia intemperijsque eò adiguntur, vt sibi ipsis statuant inferre manus violentas. Sic, vt de Pyramo & Thysbe nihil dicam, ac ijs, qui eos insanis amoribus imitantur; seque ipsos interimunt, quando ijs frui non possunt; apud Græcos Aiax, apud Hebræos rex Saul, in proprium gladium incubuit. Sic *Achitophel videns, quòd non fuisset factum consilium suum, disposita domo sua suspendio interyt.* Quo mortis genere etiam Iudas animam suam, ex arbore in Orci barathrum, præcipitauit. Herodes quoque mortem sibi ipse consciuit, ne se diutiùs viuum vermibus permitteret epulandum. Quod & de Pontio Pilato refert Gregorius Turonensis. Apud Ethnicos innumeri

2. Reg. 1.

2 Reg. 17. 23.

tales extiterunt. Ibi non tantùm Dido, & eius ſororAnna; nonCleopatra modò & Lucretia; neque ſola Euadne, Biblis, Sappho, Iocaſta, Phædra, Phyllis, Anatolia, & aliæ deſperati ſpiritus feminæ; ſed etiam Aegeus Athenienſis, Hæmon Thebanus, Mopſus Cretenſis, Annibal Carthaginenſis, Cleomenes Spartanus, Dinocrates Meſſenius, Eratoſthenes Cyrenæus; quin & ipſe ille fortiſſimus Poëtarum Hercules, voluntaria ſe ſe morte peremerunt. Occurrunt noſtræ quoque ætatis exempla quotidiana, in quibus quid aliud docetur, quàm irâ furentes eò impelli, vt ſibi ipſi & vitam eripiant, & animam in æterna ſupplicia mittant, de breuibus huius vitæ moleſtijs, ad nunquam deſinendos inferni cruciatus tranſituram? Quanta beſtia eſt ira, quæ tales ex hominibus beſtias facit? immo beſtijs truculentiores? Paucæ enim ſe ipſas necant. Cum ſcorpione poſſunt autothanati iſti venire in comparationem. Circulum ſi quis faciat ex ardentibus prunis, in coronæ modum, humi circumfuſis, atque in medium inijciat viuum ſcorpionem, videt illico caloris impatientem anxiè diſcurſare, & jam hîc, jam ibi exitum tentare. Si videt ſe quærere fruſtra, hinc igne, inde ira exardeſcens,

scens, retortâ in tergum caudâ se ipsum interimit. Ad hunc modum exæstuant multi, cùm rerum suarum exitum non inueniunt: tunc enim à morte petunt remedium, quasi cum vita calamitates finirent; quas nequaquam, hac via fugiunt, sed incurrunt, augent, & de breuibus ac paruis magnas atque æternas faciunt, more illius, qui ad littus obambulans, ne à pluuia aspergeretur, in mare insiliuit. Patiens non irascitur. Humilis non curat si parui pendatur.

Ad hunc modum ira, à diabolo orta, crescit in homine, vt rationem excæcet, voluntatem præcipitet, consulentes non audiat, nemini, nec Deo, nec ipsi irascenti parcat. Et clemens foret, si in corpus tantùm sæuiret; nunc in ipsam quoque animam est truculenta. Nec debent sibi blandiri, qui se non interemerunt irascentes. Siquidem & sanctorum hominum animas hic affectus subinde quatit. Etsi enim illæ tam plumbeas iras non habeant, vt illis semper in Infernum mergantur; grauantur tamen sæpe vsque ad Purgatorium. Quàm pauci enim primos statim impatientiæ motus, comprimunt? Quàm rari iram non fouent recordatione iniuriarum? Quàm procliues sumus ad dicta, vel facta

XXVIII. VARII IRAE MOTVS ETIAM PROBIORIBVS INFESTI.

aliorum non excuſanda, ſed deteriùs interpretanda? Quàm citò turbamur? Quàm parum ferre poſſumus? Quàm leuibus rebus offendimur? Quàm ſubitò exclamamus, ſicut podagrici, qui, etiam cùm non tanguntur, ſolent vociferari, ne tangantur ab ijs qui lecto propinquant? Quàm ægrè animum applicamus ad ea cogitanda, quibus iræ igniculi extinguuntur potiùs, quàm ſufflaminantur? Quidam penè omnibus rebus offenduntur, ob rem nauci ſe ſinunt abalienari; exacerbari voluntatem; imminui amorem & bonam de altero exiſtimationem amaritudine infici. Quidam aiunt, ſe non odiſſe alterum, ſed tantùm non libenter aſpicere, non libenter colloqui, nō libenter de eo aliquid audire. Quàm expeditus eſt in multis impetus vindicandi? & malum pro malo reponendi? occaſione data, laudes eius tacendi? næuos vulgandi? à bono impediendi? ignominiam, aut pœnas optandi? triſtandi de eius proſperis, lætandi de malis? &, ſi de eo honorifica mentio inijciatur, aliò ſermonem deriuandi? contrahendi frontem, & auerſum animum rugis oſtendendi? aut toruè intuendi? Ne dicam, ſuper eum expuendi? præ indignatione non reſpondendi? aut reſpondendi aculeatè?

leatè? minitandi? conquerendi? obiurgandi? acerbè, ironicè, contumeliosè, cum execratione appellandi? extorquendi, quis hoc vel illud dixerit? quin & percutiendi? manu pedeué protrudendi? vexandi? detrahendi? diffamandi? discordias spargendi? Hæc qui agit, nonne odit? At *omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Quare & animam suam occidit, cuius vita in gratia Dei consistit. Quin & in proprium quoque corpus sæuit, quod neque dormire, neque quiescere potest, neque cibus ei sapit, vt in Aman est videre; denique etiam paulatim contabescit. Nonne hoc est seipsum & occidere, & perdere in gehennam? Si ergo indignamur illi, qui alterum ita oderat, vt animam cum corpore in exitium mittendi inuenerit rationem, cur non potiùs nobis ipsis irascimur, quòd irascamur; &, velut cuneo cuneum, ita ira sancta iustaque iram iniustam & perniciosam pellimus? Sic ergo *irascimini, & nolite peccare.* Sic discite cum omnibus pacem habere. Beatus, cui post mortem Mundus epitaphium ponere potest, quale Romæ positum refert Appianus: Q. CAVIVS SEVERVS RVTILIÆ PRIMI-

1. Ioan. 3. 13.

Appian. in Anti-

quitatibus.

PRIMITIVÆ CONIVGI SVÆ DVLCISSIMÆ, CVM QVA VIXIT, ANNIS XX. SINE BILE: aut quale, in agro Nemaufenfi cernitur: D. M. S. SYLVIVS PATERNVS VXORI RARISS. EXEMPLI. CVM QVA VIXIT ANNIS XXXII. SINE VLLA ANIMI LÆSVRA. S. V. P. Itaque homini alias etiam religiofo, fed impatientiæ motibus non fatis imperanti dici poteft,

Ouid. epift. 3. Heroid.

*Vince animos, iramq; tuam, qui cetera vincis.*

# CAPVT VII.
# ACEDIÆ NATVRA, DAMNA, REMEDIA, IN STVDIOSO IVVENE, OSTENSA.

## PARS PRIMA.



*Vsque quò, piger, dormies? quando consurges è somno tuo? Prou. 6. 9.*

GAVDIVM, nobilissimus charitatis fructus, vel de bono Dei, vel de bono proximi, in nobis oritur; atq; idcirco geminum est. Vtrique tristitia quædam opponitur. Illa tristitia, quæ aduersatur gaudio ob bonum diuinum nato, *acedia*, seu tristitia de bono diuino; quæ autem est contra

I. ACEDIA QVID, ET QVAM PERICVLOSVM SIT VITIVM?

contra gaudium è bono proximi profectum, *inuidia* appellatur. Qua de caussa D. Thomas censuit, priùs de *Acedia*, quàm de *Inuidia* tractandum. Alij tamen in vltimum *Acediam* locum relegant, non quòd sit minimũ vitiorum (siquidem charitati virtutum omnium reginæ, & quidem magis, quàm *Inuidia* opponitur, quod pauci expendunt) sed quod in vitijs ordo nullam indicet dignitatem. Et decet Acediam vltimus locus, cùm ipsi etiam pigri atque acediosi, in rebus spiritualibus, semper vltimi velint esse, primi aliàs in somno, & lecto, & vino, & reliqua corporis cõmoditate. Nempe *asinus stramenta mauult quàm aurum*, vt, teste Aristotele, dixit Heraclitus. Ceterùm hoc vitium paucis est satis notum, tantoq; nocentius, quantò latentius: quod, teste Cassiano, solitarijs atque in eremo quoque sanctissimè commorantibus, tanquam frequens & infestus hostis insidiatur. Qua de caussa apud Ioan. Climacum *Acedia est remissio animæ; & resolutio mentis; pusillanimitas exercitationis; odium professionis; mundanorum beatificatrix; detractrix Dei quasi inclementis, & existentis sine benignitate; attonita in psalmodia; infirmans in oratione; in ministerio ferrea; in opere manuum pigra, in obedientia*

S. Thom. 2. 2. q. 35. a. 2.

Aristot. l. 10 Moral. Nicom.

Cassian. l. 9. & toto l. 10.

*entia improba.* Quare vel in his solis rebus Deo nauseam mouet etiam virorum aliàs probatorum: *Angelo Ephesi scribe*, ait Dominus, *Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt; & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.* En quantus vir? & tamen subiungitur: *Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti! Memor esto itaque, vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Hoc Ephesiorum Episcopo satis grauibus verbis est indicatum. Episcopo autem Laodiceæ dictum est: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neq; calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Nec immeritò*, ait Daniel Abbas apud Cassianum, *eos Dominus, quos jam in visceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos, cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronunciat: qui cùm salutarem quodammodo ei potuissent*

Apoc. 2. 1.

Apoc. 3. 13.

Cassian. collat. 4. c. 19.

*potuissent præbere substantiam, auelli ab eius visceribus maluerunt; tantò deteriores effecti illis, qui nunquã ori Dominico illati sunt, cibis, quanto id, quod nausea compellente proijcimus, odibilius detestamur.* Quod si hunc *Acedia*, in viris pijs, & de salute sua solicitis fructum parit, quæ damna non efficiet in Politicis illis, aut secularibus animis, qui in vtramuis aurem otiosè dormiunt, & verè, *neque frigidi, neque calidi sunt*: vellent enim sua beatitudine, ad quam conditi sunt, non excidere, & tamen nolunt ea facere, quæ necessaria sunt ad beatitudinem consequendam. Prodest igitur, immo valde necessarium est, vt *Acediam* in Arcadico germine aliquo penitiùs inspiciamus, quod in Exempli narratione faciemus.

II. HISTORIÆ AVTHOR AC CONVENIENTIA. Spec. Exemplorũ dist. 4. exemp. 1. Item Carolus Abbas. in

Vt autem appareat, non illico contemnenda esse, quæ obuia sunt, ex obuio libro historiã recitabo, hoc ipso non obuiam, quia optimus liber à multis non legitur, obuia non legentibus, cùm sectentur peregrina; curiositatis studiosi, non pietatis. In eo igitur volumine, cui titulus est *Speculum exemplorum*, narratur, quod etiam alios in suis libris non piguit commemorare, de duobus fratribus, Parisios, tanquam ad mercatum bona-

bonarum artium ac litterarum, cauſſaq; ſtudiorum, miſſis. Horum ego hiſtoriam tantò libentiùs recito, quia & huc ſolent mitti quàm plurimi adoleſcentes & iuuenes, vt, in celebratiſſima Academia, ſcientijs ditati, domum redeant, cum gaudio parentum, patriæ ſuæ emolumento, & cæli applauſu; qui, in hoc exemplo, vitam moreſque ſuos perſpicuè intuebuntur, ſiue Palladem, ſiue alia à litteris & ſobrietate abducentia Numina aduenerentur; ſiue reducti, ſiue ſeducti. Nemo quippe in vitio à primo ortu fuit, ſed vel ſua quiſque culpa fit improbus, vel alterius exemplo.

Stemat. Christi. die 15. Maij. item in Litan. Lauret. ad illud: *Spiritus Sancte Deus.*

III. DVORVM FRATRVM DIVERSI MORES.

Duo, ijſdem parentibus, nobilitatis antiquitate opibuſque claris, oriundi fratres, ad Pariſienſem Academiam amandati, egregiè oſtenderunt, ſe eodem ouo prodijſſe, non eodem aſtro natos fuiſſe. Vt enim inter primos fratres, Abel & Cain; & inter Iacob atque Eſau; itemque inter Etheoclem & Polynicem Oedipi filios; interque Romulum & Remum: ita & inter hos magnum vitæ morumque diſcrimen interceſſit. Minor, maiorem ingenio, diligentia, pietate; maior minorem otij amore, libertate ludendi, vitæq; licentia ſuperauit. Et quia ignauis ſemper

 ſunt

ſunt feriæ, litteræ illi inſuaues fiebant. Enimuero, quia *deſidioſo ſtudere, torqueri eſt*, ſupplicij illi loco fuit litterarius labor. Nunc excuſabat valetudinem, nunc neſcio quas occupationes rei domeſticæ obtendebat; nonnunquam obſtabat rigor hyemis; aliàs æſtatis feruor; interdum autumni periculoſum cælum; demùm auocabat à libris veris amænitas mox fugitura. Pranſus negabat eſſe rem habendam cum libris antè, quàm concoxiſſet ſtomachus. Impranſo obſtrepebat fames, quò minùs liberet. Luce dicebat, ignauum eſſe, domi deſidere; ceterùm ad lucernam vigilare, oculis inimicum. Si ſuppetit res domeſtica, inquiebat, quorſum opus litteris? Denique, aiebat, cur æui florem curis ſenilibus abſumam? Omnia iunior contraria ſentiebat, dicebat, faciebat: eratque inter eos tale, quale inter diem ac noctem diſcrimen. Ille, domi inter libros; iſte inter ſcyphos, cantharos, & fritillos: ille cum doctis, iſte cum rudiſſimo quoque agaſone, libenter verſabatur. Ille leges ita callebat, vt eas in digitis numeraret: iſte ne Æſopum quidem triuerat. Foris ille nunquam, niſi cum ad ſcholas, diſputationeſq; & templa eundum eſſet, videbatur; iſte ſæpius in ſphæriſterio,

Senec, ep. 87.

&

& ganeis, quàm in Lyceis inueniebatur. Illi graue erat prodire ad spectacula: huic crux fuit, vel vna hora, solum manere apud se. Itaque nunc hos, nunc illos inuisens & obruens, interturbauit; nihil pensi habens opportunusné, an importunus hospes veniret; gauisus, si alios à litteris posset auocare, quas oderat ipse. Secus itaq; accidit, ac cum prodigo filio, fruges consumere nato, cuius frater natu maior frugi fuit, ipse *profectus in regionem longinquam, ibi dißipauit substantiam suã viuendo luxuriosè.* Diuersa hîc res fuit: non enim idem fratrum virtute, qui & ætate maior erat: ille pietatem, iste nequitiam cordi habuit. Et quia *malos faciunt malorum falsa contubernia*, quantùm ille abhorruit à consortio prauorum, tantùm iste quæsiuit omnibus potantium, ludentium, saltantium conuenticulis interesse. Nihil illum iactura temporis, nihil pecuniarum inutilis profusio, nihil destructio sanitatis, nihil malum nomen, nihil infamia aut sua, aut sociorum mouebat. Perinde illi erat, vt malum esse, ita & malum dici. Ne tamen nihil ornamenti haberet, intus spurcitia plenus, saltem externa specie sepulchrum voluit esse dealbatum. In vestibus, & cincinnis capillorum ac toto

Luc. 15. 13.

Catul. in peruig.

cultu corporis, erat munditiarũ lautitiarumque ſtudioſiſſimus; ceterùm Venus Dea Verticordia, ſummum illi numen erat. Quamobrem linguis omnium appetebatur; & erat fabula in tota ciuitate. Nullius enim vitij fama aut citiùs erumpit, aut latiùs ſolet fætere, dum quiſque ſuas elui, aut minui maculas exiſtimat maculis aliorum; quaſi ſcilicet ſuum vulnus ſanet, ſi alios quoque poſſit oſtendere vulneratos.

IV. CVR, ET QVAM DIVERSI IN ECCLESIA SINT HOMINES? Matth. 13. Matth. 3. S. Auguſtin. lib. 1. de ciuit. cap. 35.

Verè Eccleſia ſimilis eſt ſagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium congreganti, & velut area, in qua non modò triticum congregandum in horreum, ſed etiam paleæ comburendæ igni inextinguibili reperiuntur. *Perplexæ ſunt iſtæ duæ ciuitates, in hoc ſeculo, inuicemq́ permixtæ*, ait S. Auguſtinus, *donec vltimo judicio dirimantur.* Hac ratione ſunt qui curent, & qui curentur; monendi, & monitores. Hinc frater ille minor annis, maior pietate, quoties ſe ſe offerebat occaſio opportuna, ſuauibus verbis monebat alterũ, vt tandem ad ſe rediret, turpes illecebras deſereret, Spiritum S. per ſe loquentem non contemneret. Sed lapidi loquebatur. Enimuerò, quaſi iaculum in rupem vibraſſet, ita pro fraterna correptione, conuitia reſiliebant.

bant. Iussit enim eum suas res agere, non curare alienas: non moris esse dictitans, vt minor maiorem instruat; discipuli proinde ad eum, non magistri partes pertinere. Quàm sapienter ille, *Sæpe ego*, inquit, *audiui, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit. Secundum eum, qui bene monenti obediat. Qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse.* Huius generis haud paucos videas mortales, qui cum ipsi ob mentis inopiam, nequeant dispicere, quid facto sit opus, dictu tamen mirum, quàm sint præfracti, quamque non admittant alienum consilium, videlicet asinum illum referentes Horatianum, qui cùm nec viam nosset, nec duci pareret, in rupem præceps datus est. Talis erat iste adolescens, vecors sibi, & ad fratris vocem rupe durior. Sua igitur via, immo in nouaculæ acie pergens miser, otio sese dedebat, domi parietes, foris plateas omnes circuiens; illic fenestras, hic viarum strata terens. Neque enim lectio illum delectabat librorum; neque scriptio detinebat, aut iucundarum annotatio historiarum. Vagari, non studere, mens erat: aut, si quando, temporis fallendi gratia, libellum in manus sumebat, inutilem sumebat, aut curiosum; sæpius

etiam perniciosum. Si quis ab eo, quid libri legeret, petijsset, solos poterat Ouidios, Amadisios, & alios eiusdem farinæ authores nominare. Subtilia speculari, non esse nobiliū dicebat. Si quando, præ otij ipsius tædio, aliquid agere incipiebat, rebus solebat se inanissimis occupare. Fenestras frangere; rumpere ianuas; euertere lecticas, aut destruere arcas; vt optarent alij illum otiosum potiùs esse, quàm negotiosum. Quanquã ipse sponte sua erat laboris fugitans, nullaq; re seria occupabatur; idque vnum videbatur maximè curare, vt curaret nihil; habebatque promptas excusationes, vt se à negotijs subduceret. Manè in multam lucem dormiebat; à prandio, crapula dominante, somnum captabat, per multas horas, nisi eum ludi, vel socij excitauissent. Nimirum, nomine lassitudinis, multa sibi permittebat; cùm tamen nulla re, nisi desidia, lassaretur. Vnde cedens tædio tristitiæque, animum non nunquam nimis abijciebat atque contrahebat. Hinc & res diuinas, neque suo tempore, neque suo loco, neque suo ordine tractabat. Insipidum illi erat, quidquid de Deo, deque salute sua audire cogeretur. Sæpe illi frater, sæpe alij
Prou.6.9. dicebant: *Vsquequo, piger, dormies, quando surges*

*ges è somno tuo?* Sed ille stupidum se se ad omnes interiores, & exteriores virtutum impulsus exhibebat: totus à pœnitentia alienus, licet quotidie faceret pœnitenda. Nam ex hac acedia, seu adeò graui, ad exercendas pias actiones, ad salutem necessarias, tædio, nascebatur incredibilis malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio & torpor, circa præcepta, mentisque in illicita quæque effusio. Ita peccati mancipium, hostis virtutum, nihil agebat vnquam, quod vitâ æternâ, semper quod æternâ pœnâ dignum esset; nec sibi, nec alijs vtilis; in quo nullus labor, nulla cura, nulla industria fuit, sed quidam perennis exitij fons, lerna & scaturigo malorum, vno verbo, confluges quædam vitiorum, & mali commatis homo, publicumque dedecus erat, & *Cerite cera dignus.*

S. Damascen. lib. 2. c. 14. S. Greg. lib. 1. in 1. Reg. c. 14.

V. FRATERNAE ORATIONIS MODVS, ET PETITIO.

Hæc videns frater, identidem conabatur sanare; sed tanquam Bœoticam cantilenam afferret, aut velut loquax talpa identidem repulsus, verba gemitu lacrhymisque terminauit. Non fatigatur labore charitas; vnum ex alio suscipit, vt semper operetur. Quamobrem, quòd sanctus iste iuuenis à fratre non obtinuit sermone, precibus conatus est impetrare à Deo; quem assiduè precatus est, vt

tandem aliquando ſaxeum ſeductiſſimi fratris pectus dignaretur emollire; ne & ſe perditum iret voluptate, & alios exemplo. Impulit eum ad impenſiùs precandum, quòd videret, à fratre ſuo tot ſeduci adoleſcentes, ſe autem vnum fratrem non poſſe reducere in viam, quo reſipiſcente, ſi alij illius commilitones non vnà reſipiſcerent, ſaltem complures adhuc integri, non de nouo corrumperentur. Inſtitit ergo quotidie apud SS. Trinitatem, nunc Patri ſupplicans; nunc Filij miſericordiam implorans; nunc S. Spiritus in vota vocans opem, vt cæco fratri aperire mentis oculos benignè vellet, eique tantam vitiorum fœditatem oſtendere, vt ſe ipſum noſcens, vitam priorem deteſtari, ſeriamque morum emendationem ſibi proponere, ac, cum diuina gratia, in alium hominem tranſire inciperet. Sciebat enim primùm mentem eſſe illuſtrandam peccatoris, multis ignorantijs atque erroribus obtenebratam, & mala bona, bona mala eſſe judicantem; aut certè alio modo judicantē, quàm iudicari ea oporteret. Rogabat igitur, vt miſero ſua miſeria oſtenderetur; quàm ſcilicet vana ac fœda eſſet corporum voluptas; quàm multis ſpinis illecebræ pungerent; quanta vitæ breuitas;

quanta

quanta mortis certitudo; quanta incertitudo vltimæ horæ; quanta diuini judicij seueritas; quantum æternæ damnationis periculum; quanta Auernalium suppliciorum immensitas. Hæc cupiebat fratri suo inculcari, vt tam horrendorum malorum memor, de modo ac ratione cogitaret, ea euadendi; tandemque, ab exitijs suis pedem referret. Vt enim viator locorum notitiam non habens, si densa nocte, dum præcipitio proximus est, repentino cœli coruscantis splendore, animaduertat, certò sibi pereundum, nisi pedem referat; sine mora retrocedit, instantis periculi terrore totus contremiscens: ita peccator, *cuius via tenebræ & lubricum,* mox, vbi eius menti cœlestis luminis illuxit coruscatio, discrimen videt, in quo versatur, horret, & resilit à viæ suæ prauitate. Hoc est, quod de terreno homine dicitur: *Illuxerunt fulgura, & coruscationes tuæ orbi terræ: vidit, & commota est, & contremuit terra.* Rectè igitur, pro fratre suo, & recta orauit. Psal.34.6. Psal.76.9.

O quàm potens est oratio, profecta à charitate! immo, quàm clemens & benignus Deus, in amicorum suorum precibus exaudiendis! Siquidem lachrymas tam pij fratris, pro pereunte fusas, aspexit; & vo- VII PRINCIPIA ET VIAE, QVIBVS PECCA-

 admi-

TOR SOLET CONVERTI.

admisit ad aures, toties ardentissimè suspirantis. Vt ergo sceleratum iuuenem sanaret, vulnerauit; quemadmodum & chirurgus solet, cùm sanguinem è vena mittit. In morbum itaque, & in lectum compegit insanientem. Videte nunc, vt omnia in contrarium trahat ars Acherontica! Varios mittit monitores Deus: varios seductores diabolus. Deus à peccatis retrahit, per conscientiam vellicantem; diabolus peccata extenuans, ad ea mentem allicit, quæ contemnit vt parua, appetit vt dulcia. Deus permittit, vt homines de malis malè loquantur, itaque turpitudinem suam agnoscant; diabolus socios submittit, qui laudent delinquentes & aliquid audentes, faciantque improbos, in rebus pessimis exultare. Deus oues errantes dirigit ad concionatores, ac duces spirituales; diabolus eas abducit, ne audientes vocem pastoris redeant ad mandram. Hinc pessimus quisque optimum quemque fugit, vt anguem. Deus denique, vt animas sanet, sæpe sinit corpora mortalium ægrotare. Multi, cùm per inualetudinem peccare non potuerunt, cœperunt cogitare meliora. Nam & suæ illis in mentem venit naturæ fragilitas; & breuitas vitæ; & rerum humanarum vanitas;

vanitas; & tribunal, quod à morte est, hominibus adeundum; & culpæ, in quas inibi acquiretur; & supplicia denique, quæ reis decernentur. Quæ vt effugiant, cogitant de modo & via euadendi. Offert se se illis diuinæ bonitatis immensitas; erigitur spes; quæritur exitus; arripitur, velut in naufragio, tabula pœnitentiæ; flentur, recensentur, dolentur peccata; & fit iustus, qui antea fuerat omni scelere coopertus. Sic fit ex ipsis morbis medicina; ita, corpore afflicto, Deus sanat animam ægrotantem; sicut fuit videre, in Ezechia, qui *ægrotauit vsq; ad mortem*, vt rectiùs disceret viuere. Ad hunc nempe modū *Dominus mortificat, & viuificat.* Diuersa via graditur diabolus. Nam ad peccandum validis, culpam eleuat, crimen omne excusat, ne delinquere vereantur. Ast vbi, debilitatis viribus, vita è filo cernitur pendere, & ad mortem vltimam rerum lineam venitur, ibi à fronte præcipitium, à tergo lupos ostendit. Nam omnia coaceruat, & accumulat, vt anxium, inter dolores, animum adigat ad desperationem. In hoc igitur vnico non est disparitas, quòd neque Deus neque diabolus *vnica*, vt dicitur, *scutica omnes impellat*; sicut enim diabolo *Mille nocendi artes*, ita Deo semper *mille salutis erunt.* Cuius

4. Reg. 20. 1.
1. Reg. 2. 6.

VII. ACEDIA IN DVRITIAM ET DESPERATIONEM DEGENERANS.

Cuius rei exemplum habemus, in hoc Parisiensi adolescente. Ægrotauit, vt se sentiret percussum à Deo, velut pigrum asinum, qui excitatur, dum verberatur. Sed durus erat, & persuasu difficilis, similisque hostiæ Agamemnonis: quippe contrarium in eo effectũ peperit morbus, immo diabolus. Neque enim ictus sapuit, sed insaniuit. Nam qui, rerum piarum tædio, negligere assuetus erat omnem virtutum exercendarum occasionẽ, etiam in hac ægrorum schola nihil profecit.

Prou. 26. 13. Verè nimirum dixit Salomon: *sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo. Ostium* sæpe mouetur, sæpe *vertitur in cardine suo,* nec tamen locum deserit, sed semper redit eò, vnde fuit apertum: ita *piger in lectulo suo* vertitur, sed semper ad peccandum reuertitur. Nec raró morbi caussam agnoscens

Psal. 31. 4. ait: *Die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina:* sed conuertitur tantùm ad conscientiæ stimulos, non ad Dominum; pungitur, non compungitur; cruciatur, non emendatur: offertur illi gratia, qua non vtitur; quasi pila manco remittatur, datur enim tali beneficium, cuius voluntas non est parata ad accipiendũ. Intuens igitur turbato men-

tis

tis oculo & iste adolescens flagitiorum suorum multitudinem, criminumque enormitatem, vltimam addidit coronidem impietatis, vt desperaret. Huc scilicet perducit Acedia, vt clientem suum, qui per inertiam est domicilium dœmonis mali, ac plurimis ab hostibus oppugnatur, omnibus præsidijs exuat, armisque spiritualibus destitutum, discrimini exponat. Qui enim de salute sua solicitus antea non fuit, nihil habet, quo se defendat, tempore necessitatis. Anima itaque illius, est instar militis sine galea, sine lorica; sine clypeo inter tela versantis; est instar vrbis, quæ sine mœnibus aut munimentis, hosti vndique peruia, exitium nusquam à se excludit. Ite igitur, pigri; ite, inertes, & negligite virtutē; fastidite bonum quod inchoastis; veniet tempus, quod ostendet, quid sit, pietatem neglexisse. Tristitia hæc vestra, de re spirituali; iste remissi animi, ad bene operandum, languor, hoc tædium virtutis, hæc animi fatigatio in ipsam tandem desinet desperationem. Sed ad decumbentem nostrum iuuenem reuertamur. S Greg. 3. p. cur pastoral. admon. 16.

VIII. DEI PATRIS ERGA PEC-

Is, dum partim corporis molestijs, partim animi intemperijs agitatus, nullam noctu neque corpore, neque animo quietem, neque som-

ÆATOREM EXPROBRATIO. somnum oculis capere potest, solusq; se cruciat vitæ & conscientiæ cruces cogitando; vidit aliquando, insolita luce cubiculum clarescere; oculisque caussam quærens, conspexit, ante lectum astare venerandi vultus virum. Canities illi non in barba modò, sed latè etiam erat per humeros diffusa. Ex oculis, tanquam duabus stellis, mirificus quidam fulgor radiabat. Cetera omnia erant composita ad maiestatem; quæ tametsi sola poterant parere metum, ægrotus tamen truci aspectu maximè exterritus cœpit totis artubus contremiscere. *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis. Semper enim præsumit sæua perturbata consciéntia.* Adhuc trepidabat, & tamen se coëgit, vt auderet interrogare: *Quis ille senex esset, aut cuius rei gratia, id noctis tempus elegisset, ad se terrefaciendum?* Cui senex respondit: *Ego, vt nôris, cælestis ille sum Pater, qui te de nihilo produxi, vt esses, vt viueres, vt sentires, vt ratione omnia comprehenderes. Ego corpus tuum his sentiendi instrumentis, animam intellectu, memoria, voluntate ornaui. Ego has, quæ in cœlo lucent, stellas, hanc lunam, solemq; ipsum lucis fontem, condidi, vt tibi famularentur; quo fine & reliquas tibi subieci creaturas. Ego te amaui;*

Sap. 17. 10

*&, post-*

*&, postquam tu amori meo odium reposuisti, per Angelum, per conscientiam, per fratrem tuum, per varios deniq; hominum piorum sermones, admonui, vt à scelerosa ista tua vita ad frugem, ad pœnitentiam, ad ceteras virtutes redires. Omnia frustra. In lapidem duratus es: audire me noluisti. Quando igitur omnes monitiones meæ in cassum ceciderunt, & toties vocantem, toties contempsisti; ecce huc veni, & adsum, vt tibi indicem, filiũ te esse æternæ damnationis.* Sic dixit, & videri desijt; sed non desijt juuenis, immo jam demum cœpit longè formidabiliùs trepidare, ac in sudore suo pænè natare; jam enim subibant mentẽ supplicia flammarum sibi accensa; jam æternitas suppliciorum; jam tota rerum fluxarum vanitas; ebrietates, blasphemiæ, detractiones, turpiloquia, detestandæ voluptates in tormenta nunquam desitura commutandæ.

Atque ita hoc cælestis Patris vaticinio percussus, quod reliquum erat noctis, totumque insequentem diem, sine somno, sine cibo, traduxit; plenus anxietate, desperatione, atque expectatione tristissimæ illius horæ, quæ eum, ex hac vita, eiectum transmitteret ad merita supplicia funestissimæ æternitatis. Talẽ nempe fructum parit *Acedia*, & spiri-

IX. RECTA FIDES, DVM SPIRAT, SPERAT.

ſpiritualium rerum neglectus, vt piger, quantum in ſe eſt, ipſa Chriſti merita inutilia, ipſa ſalutis adiumenta inania reddat. Si iuuenis iſte, concionibus ſacris, ſi pijs colloquijs diligenter interfuiſſet; ſi libellos aſceticos volutaſſet, didiciſſet vtique, ipſius Dei commi-nationes commonitiones eſſe, neq; ſine conditione pertinaciæ aut pœnitentiæ denunciari. Quare neque, poſt tam tremendum etiã Dei Patris fulmen, deſperauiſſet: ſed promtam in animo memoriaque habuiſſet diuinarum veritatem promiſſionũ, quas fides Chriſtiana docet; quas Eccleſia in ſpem peccantium proponit; quas Prophetæ & Apoſtoli ad pœnitentiam confugientibus occinuerunt: ſciuiſſet illud ad Ezechielem à Domino di-

Ezech. 33. 10. ctum. *Tu, fili hominis, dic ad domum Iſrael: Sic locuti eſtis, dicentes: Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus: quomodo ergo viuere poterimus: Dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat. Conuertimini, conuertimini, à vijs veſtris peſſimis: & quare moriemini, domus Iſrael? Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: Iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit,: & impietas impij non nocebit ei, in qua-*

*quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua: & iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacunque die peccauerit. Etiamsi dixero iusto, quòd vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quàm operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq́; iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamq́; reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum: vita viuet, & non morietur. Omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei.* Hæc si cognita perspectaq́; habuisset iuuenis, si non ad diuina, tanquam bos marinus, stupuisset, etiam denunciatâ sibi æternæ damnationis sententiâ, in diuinæ clementiæ immensitatem sperauisset; cogitassetque, Deum mutare posse sententiam, si ille vellet mutare delictum. Sed nimirum desides non solùm piget operari, verùm etiam, adeò à salutis via abhorrent, vt eos pigeat quoque discere, quid sit operandum. Hinc oleum & opera, apud eos, perdita est. Hinc nomen Domini, hinc sanguinem Christi, hinc omnia Sacramenta in vanum acceperunt.

X. DEI FILII ERGA PECCATOREM EXPROBRATIO.

Quapropter, proxima nocte, desperato iuueni, in tenebris trepidanti, neque vlla salutis remedia circumspicienti, alius se stitit vir conspiciendum, luce clarissima refulgens. Erat hic aspectu longè iunior priore; ceterũ ab imagine atque vultu prioris non multùm abludens. Quanquam habitu atque ornatu valde diuerso. Neque enim longa illi palla fuerat, sed nudo propemodum corpore incedebat; in capite coronam è spinis acutissimis contextam, in humero ponderosæ crucis arborem gestans. E lateris plaga, tanquam è fontis perenni scaturigine, sanguis illi ebulliebat. Hic talis talique aspectu vir ad ægrũ, in lecto, solicitè vigilantem accessit, atque voce haud obscura interrogans dixit: *Nostiné me, qui sim?* O ouem verè errantem, quæ neque vocem, neque vultum Pastoris sui nouit! Quousque tandem se se ignorantia etiam hominis Christiani extendit, vt neque sciat, neque agnoscat Redemtorem! Iuuenis enim interroganti respondit: *Non noui, quis sis, sed, nisi me oculi frustrantur, illi haud absimilis es, qui funestissimo, hesterna nocte, nuncio me externauit.* Cui rursus is, qui ponè astitit, aiebat: *Ne mirare, si illi similem me vides, cum quo, in vna eademq; diuinitate similis mihi*

*mihi honor, similisq; gloria sempiterna debetur. Sum etenim IESVS CHRISTVS Dei Filius, quem, humani generis amore, infinita mea misericordia è cœlo traxit, in virgineum Mariæ Matris meæ vterum. Vnde mortali carne indutus, velut sponsus, de thalamo processi. Ita Dominus formam serui accepi, & in similitudinem hominum factus, Mundo me meamq; infinitam, in corpore, ostendi bonitatem. Cui viam ad cœlũ, verbis, signis, prodigijs, exemplis demonstraui; meritis aperui. Fatigatus enim, fame atque siti cruciatus, æstum & frigora passus, opprobrijs saturatus, tandem, in latronis modum, captus, iniquißimè accusatus, iniustißimè damnatus, ignominiosißima deniq; & crudelißima morte interfectus sum, vt diuinæ iustitiæ, pro tot iniurijs, ab hominibus Deo illatis, satisfieret. Quando igitur tu, ô infelicißime iuuenis, horum omnium à me acceptorum beneficiorum immemor, merita mea, & gratiam omnem pedibus conculcauisti, ecce huc veni, & adsum, vt tibi indicem, filium te esse æternæ damnationis.* Dixit, &, cum dicto, manibus exceptum defluentem è lateris plaga recentem calentemque sanguinem, indignabundus in faciem decumbentis proijciens hæc addidit: *In ignominiam tuam accipe*

*sanguinem pretiosum, qui in salutem tuam aliorumq́; effusus est.* Hæc effatus desijt videri.

XI. EXTREMA PERICVLA SAEPE DOCENT SAPERE.

Diuina hac voce iteratò fulminatus adolescens, spe & animo destitutus, pallido & buxante vultu, ac toto corpore contremiscens, cùm nesciret, quid sibi consilij, in rebus tam deploratis, capiendum esset, vbi primùm diluculauit, extemplo pium suum fratrem jussit accersiri; quem ante, vt anguem, erat auersatus. Sed multos sæpe extrema pericula, ad extrema remedia compulerunt: vtque arcta fames, optimum cibi condimentũ, etiam mucidum panem sapidum facit; ita summa necessitas grata reddit, à quibus antea abhorrebamus. Adfuit illico vocatus, & se vocari lætus, sibi pariter ac fratri est ex animo gratulatus. Verùm vbi eius tam miserandum aspexit vultum, vt videretur sibi fratrem, in ipso fratre, amisisse; vehementissimè obstupescens, cœpit ingemiscere, atque vbertim lachrymare. Venit mihi hîc in mentem id, quod de amicis Iob scriptum legimus. *Nam audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldat Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.*

Iob. 2. 11.

*tur. Cumq́; eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisq́; vestibus, sparserunt puluerem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo septem diebus, & septem noctibus; & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Ad eundem modum, conspecta tam lamentabili facie fratris, videtur mihi diu silens optimus ille adolescens semetipsum priùs cogitando, quàm mente & corpore pessimè ægrotantem consolando excitauisse. Et efficaciùs dicuntur, quæ dicuntur meditatè. Satis igitur esse censuit, si lachrymis loqueretur, secumque diu tacitus calamitosum fratris statum considerauit: è quo vt eum eriperet, varia illi consilia inciderunt. Diligebat eum, vt hominem; amabat vt fratrem, seruare cupiebat, vt pereuntem. Et quid, inquiebat, ago? si diligo, succurro; emendo. Nam etiam *quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Quis enim filius, quẽ non corripit pater?* Amantis Dei signum est, si conscientiæ morsu admoneat reuocetque peccatorem; cur eum amorem non imitetur frater? Nullum maius diuinæ iræ signum est, neque grauior, in hac vita, potest esse pœna, quàm si summus ille rerum Arbiter,

Prou. 3.
Hebr. 12.
7.

Ezech. 16 peccantem cessset admonere. Summè irati comminatio est: *Et requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus a te, & quiescam, nec irascar ampliùs*: itemque, *Iuraui, vt non irascar tibi, & non increpem te. Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur?* ait S. Bernardus. Quid agam? an ego sic irascar? Non est mihi hîc irascendi, sed diligendi tempus. Non sum pater? sum tamen frater. *Frater, qui adiuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Sed sum natu minor? at *omne animal diligit simile sibi; sic & omnis homo proximum sibi;* cur hac ego dilectione abstinebo? cur tacendo videbor facta eius approbare? aut de eo, tanquam inemendabili desperare? Sed sæpe me iam repulit admonentem? Atqui jam vltro vocauit, morbus eum domuit. In tempore veni, jam est occasio vlceris secandi. Erumpe, anime, in lachrymas, & verba, quæ leniri vultu possunt, vt tolerentur; apud Deum perdi non possunt, si apud fratrem repudientur.

Isa. 54.

S. Bern. serm. 42. in Cant.

Prou. 18. 19

Eccli. 13. 19.

XII. CORRECTIO FRATERNA.

Ita secum tacitè sermocinatus, tandem in has voces erupit: *Heu mihi, frater charißime, qualis es, quantum mutatus ab illo, quem de formositate omnes, cum admiratione, paulò ante, prædicauerunt? quem certatim tot puellæ, & tot*

*matronæ*

*matronæ concupierunt intueri? Quò color? quò formæ excellentia? quò venustas oculorũ recessit? Vbi nunc sunt illecebræ? vbi socij illi iucundi, qui aures tuas obscœnis iocis, mentem Cupidinibus Venereis repleuerunt? Cur nunc te non inuisunt? Cur nunc deserunt, cum solatijs tibi maximè est opus? cur, in extrema rerum desperatione, relinquunt? Ast non ego, id agam; fratrem fraterna non deseram: dummodo non celes, neq; dissimules mihi, quidnam tibi adeò dirum acciderit, vt mente perculsus, & totis artubus contremiscens, ac sudabundus, ad omnem auræ motum expauescas? Ecquid veteris vitæ tuæ es memor? ecquid verborum meorum recordaris? Nonne vaticinatus sum tibi, venturum tempus, quo te pœniteat, Spiritui S. per me, perq; alios, te ad frugem vocanti, toties restitisse?* Talibus vulnerato verbis vel oleum affudit, vel medicinale vinum, dixitque: *Mi charissime frater, si tremorem sudoremq; hunc tibi vehementia morbi exprimit; bono sis animo, nondum actum est de tua vita; multi grauioribus è morbis reducti sunt ad sanitatem. Quòd si verò tua te peccata, & anteacta, in tot flagitijs, vitæ memoria tantopere exterret, præsto est remedium; ingemisce, peccata detestare, emendationem promitte; veniam ora; sacerdotem voca; neq; spem*

*abijce. Bonus est Deus, infinita est clementia illius; cuius misericordia non solùm pendenti in cruce latroni veniam, repentè, & ob pauca verba impertiuit,; verùm etiam Paradisum spopondit. Idem mansuetissimus Deus, etiam hodie adhuc pœnitentiam tuam expectat; neq; vlli, quàm diu viuit, peccata sua retractanti, cœlum claudit. Vita hæc via est; quàm diu in via sumus, redire licet, & corrigere errorem, qui nos in abrupta duxit.*

XIII. DIVINAE MISERICORDIAE FIDVCIA.

Hæc alloquia, cum ardore ac suauitate facta, animum desperantis molliuerunt, & os quoque obstinatè priùs obseratum aperuerunt. Ex ordine igitur omnia recensuit, quæ illi, proximis duabus noctibus, euenerunt: Quo pacto scilicet cælestis Pater, eum pronunciauerit damnatum; Qua detestatione, Filius Dei sanguinem de latere haustum illi sit in faciem iaculatus, eumque penitus perditum declarârit. *Quare*, inquiebat, *actum est de me; nihil mihi ampliùs prodest, pœnitere, etiamsi sanguinem fleam. Stat sententia. irreuocabile est judicium, quod de me tulit summus judex. Non licet appellare ad superiorem. Muta sunt exta. Nihil proficio hoc porco piaculo immolando. Quo modo enim aliter de me loquar, qui credidi sicut Ethnicus; vixi sicut Epicureus?*

*&c.*

*&, Deo offenso, rogoq́; mihi jam parato, porrectis pedibus dormiui? maximè securus, cum maximè periclitarer?* Principium sanitatis est, morbum detegere. Itaque, conspecta mali radice, ita porrò porrexit insanientem fratrem consolari. *Tametsi cœlestis Pater, cui Veritas attribui solet, cùm adhuc impœnitens esses, tibi tanquam damnato, sese iratum stitit; & Filius, cui judicium ascribitur, cùm, mala adhuc voluntate, in peccatis submersus jaceres, te sanguinis sui fructu meritò indignũ judicauit: nequaquam tamen tibi, cui etiamnũ pœnitentiæ tempus conceditur, est de salute desperandum. Nimium perdit, qui cœlum perdit. Perdit autem cœlum nemo certiùs, quàm qui spem abijcit cœli potiundi. In quam se facilè erigit, quisquis credit, infinitam esse Dei bonitatem, & nullum numerum misericordiæ eius; cui proprium est misereri & parcere; &, pro malefactis, si cum dolore agnoscantur, beneficia reponere, paternaq́; suæ prouidentiæ clara vbiq; relinquere argumenta. Vt cetera mittã, cogita inauditam illam charitatem, qua, vt oues perditas quæreret, de cœlo descendit, & factus homo, etiam pro inimicis suis, in cruce, se ipsum opimam hostiam obtulit. Hic idem te tam diu sustinuit; hic tam diu expectauit, neq; mille gehennas commeritũ detrusit ad Acherontem: im-*

*mo dum pœnam indixit, ad veniam inuitauit. Minari, est monere. Audi me igitur seriò, & consilio meo da locum; constitue vel jam à scelerosa tua vita desistere; crimina q́ꝫ fletu dilue; & cauteriatam tuam conscientiam, cum gemitu, detege sacerdoti; quis scit, an non Spiritus S. qui bonitas Dei Amorq́ꝫ appellatur, vnusq́ꝫ cum Patre & Filio Deus est, pœnitentiam agenti veniam largiatur? Nulla ille re magis offenditur, quàm si quis desperet de illius bonitate, aut contra stimulum calcitret; nulla illi magis in homine peccatore res placet, quàm si, post lapsum, ad misericordiæ fontem recurrat.* Hæc talia audiens ægrotus, non jam ob supplicia sibi impendentia; sed ob flagitia, quæ sciebat se perpetrasse, contremuit; atque ex animo dolens, quòd Creatori suo creaturas anteposuerit, & tantum tamq́; benignum Dominum reliquerit, benefactorique ac beneficia plura conferre volenti ingratus, tam diu restiterit; rogauit fratrem, vt sibi actutum iuberet vocari sacerdotem. Bonum factum. Adfuit, sine mora, sacerdos, cui, tanto animi dolore, peccata sua recensens se se accusauit, vt præ gemitu & fletu verba singula interrumperentur.

XIV. QVANTVM PRO- O si multi tales fratres haberent! vel, in ipsa morte, ad pœnitentiam potiùs, quàm ad

pocula

pocula, ad risum, ad libidinem adhortantes! Quid non potest pia alterius admonitio! quos non eripuit è medijs Orci faucibus? Neque verò Religiosorum tantùm est, aut Parochorum; sed etiam parentum, fratrum, amicorum, quin & sociorum, adhortari ad charismata meliora. Si enim toties socijs socij sunt occasio cadendi; cur nolint eosdem erigere rursus in virtutem? Ah quàm multi ab impietate sua resilirent, si tales haberent admonitores! Non piget, præferre facem euntibus per tenebras; & piget ostendere errorem euntibus ad Infernum? Cur, ô Christiane, de lumine tuo, fratri tuo non offers lumen? *Hoc magnum lumen*, ait S. Gregorius, *tenebras cordis euacuat, mentis oculos purgat, animos erigit, corda accendit, edocet semitas iustitiæ, desiderium virtutis adauget, magnum lumen, per quod vitamus offendicula, præcipitia præcauemus, euadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus aduersa; respuimus errorem, sequimur veritatem; Dæmonem vincimus, & sequimur Christum.* Hoc lumen multi, in alijs, possent accendere, si pium hunc fratrem vellent imitari; si ipsi diuinum in pectore ignem gestarent, qui ardet, vt illuminet; illuminat, vt ardere faciat: illuminat

SIT, ALTERVM ADMONERE?

S. Greg. in Psal. 6. Pœnit. ad vers. 6.

luminat in intellectu, ardet in voluntate, in qua magnum excitat de peccatis dolorem, & vehemens efficit desiderium salutis; & quidem adeò efficaci validoque impulsu; vt tollat omnem mentis tarditatem, summaque celeritate currere, immo volare faciat accensum, vt se eripiat è statu malo, in quo hæserat, (*quemadmodum ceruus*, qui serpentem deuorauit, aut quem canes, persequuntur) reperiatque fontem viuum gratiæ, atque à peccatorum suorum veneno, crudeliumque hostium persecutione liberetur. Hoc modo, post multas longasque moras, & tergiuersationes, tandem fraternis facibus inflammatus festinauit desperatus ille adolescens, tantoque properantiùs festinauit, quantò mortem vidit in limine sibi adesse viciniorem.

Psal. 41.1.

XV. S. SPIRITVS SVAVISSIMA CONSOLATIO.

Neque sanè serò. Quippe, cùm, peractâ peccatorum accuratâ confessione, sumtoque SS. Eucharistiæ Sacramento, extremamque ad luctam sacro oleo inunctus, vltimam vitæ suæ horam, in omnia temporis momenta, præstolaretur; ecce tibi, nocte tertia, alius se illi quispiam veneranda specie vir conspiciendum præbuit, duobus, qui præcesserant, vultu haud dissimilis; stola candenti amictus; cuius humero niuea & argentei fulgoris columba

lumba insidebat. Hic lecto propinquior factus, mitissimis oculis, ægrum intuebatur, & vultu suauissimè renidenti. Quo aspectu animosior iuuenis, *O Domine*, inquiebat, *quisnam tu es, qui me terroribus præteritarum noctium exanimatum inuisere, ac tam amabili vultu solari non dedignaris?* Cui ille: *Ego sum S. Spiritus, qui à Patre Filioq; procedens, eiusdem sum cum illis potentiæ ac diuinitatis; atque idcirco ad te veni, vt tibi significem, remissa esse tibi peccata tua, iamq; tibi cælestis regni portam patere.* Hac tam consolabili allocutione, ægrotus velut ex abysso desperationis sese erigens, vocalissimè cœpit, ex imo pectore exclamare: *ô verè Pater pauperum! ô consolator afflictorum! ô dulcis hospes animæ! ô mirabile refugium omnium ærumnosorum! Quid hoc est, quod audio? Mihine cœlestia regna pateant, cui & Pater, & Filius æternam damnationem decreuerunt? cui Tartarum, cui flammas inextinguibiles sunt comminati? neque immeritò vt à quo toties, tamq; nefandis sceleribus offensi fuerunt? Itane illud iustum, infallibile, & diuinum judicium, à quo nec exceptio, nec appellatio vlli datur, tam exigua mea pœnitentia potuit mitigari?* Ad quæ S. Spiritus denuo respondit: *Fili, bona mente esto, neque de salute tua quidquam*

*quam ambige: magnam enim vim habet verâ pœnitentia; flectit illum, cui omne genu flectitur; vincit omnipotentem & omnia vincentem; mutat quodammodo immutabilem, & placat iratum Deum. Atque vt vno verbo multa te doceam; perseuera in cœpta pœnitentiæ via: testamento tibi tuisq; prouide maturè pieq; condito: pectus tuum virtutibus imple; &, dum lucem habes, quantum potes, salutem tuam operare. Post triduum ad te veniemus, animamq; tuam, cum triumpho, in cœleste gaudium introducemus.* His dictis, disparuit. Vaticinij, ac promissionis veritatem euentus probauit.

## PARS SECVNDA.

XVI. HISTORIAE SVPERIORIS DOCVMENTA.

QVIS, ex hac historia, velut è fertilissimo horto, non varios fructus colligat? 1. Discimus, nullum Spiritu S. esse præstantiorem consolatorem. Cur ergo ad eum, tam raro, tam tepidè, tam tardè recurrimus? cur fallacis mundi solatia tanti facimus? quærimus? & anteponimus optimo consolatori? *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.* (Ps. 117. 8.) 2. Discimus SS. Trinitatis personas agnoscere, & venerari. 3. Discimus Dei vias, qui hominem peccatorem, etiam *ex inuito volentem facit,*

&.

*&*, vt B. Prosper ait, *quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, vt cor audientis, obediendi delectatione generata, ibi surgat, vbi premebatur: ibi discat, vbi ignorabat; inde fidat, vnde diffidebat; inde velit, vnde nolebat.* Hoc est, quod ait: *Ego percutiam, & ego sanabo.* Multis morbi sunt salutares. Plurimi vtiliter terrentur, & turbantur. *Traditam nobis diuinitus disciplinam,* ait S. Cyprianus, *pax longa corruperat, iacentem fidem, & pœnè dixerim dormientem censura cœlestis erexit* 4. Discimus, quantum possit oratio, pro alijs, ex charitate facta. *Hæc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus, secundùm voluntatem eius, audit nos;* sicut audiuit fratrem pro fratre orantem. *De quocunque pessimo in hac vita constituto vtique non est desperandum,* ait Hipponensis antistes, *nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* 5. Discimus, nulli desperandum, quamuis plurimis se se peccatis inquinârit; quamuis diu in hoc luto hæserit; quamuis ad extremum vitæ peruenerit. *Millies peccasti, millies pœnitentiam age. Si peccata,* ait S. Basilius, *& magnitudine, & numero possunt definiri: miserationes autem Dei neq; magnitudine, neq; numero possunt circumscribi, sine dubio non est, cur desperatio adhiben-*

B. Prosp. lib. cont. Collator. cap. 6.

S. Cypr. serm. de lapsis.

Ioan. 5. 14.

S. Aug. lib. 1. Retract. c. 19.

S. Basil. in reg. breuiorib. q. 13.

*adhibenda ſit, ſed agnoſcenda miſericordia Dei, & commiſſa peccata deteſtanda. Etſi quis innumeris peccatis ſit ſauciatus,* inquit S. Chryſoſtomus, *ſi eorum pœniteat, & bonum agat, ita Deus omnia abolet, vt nullum eorum veſtigium appareat.* Et S. Auguſtinus: *Fortè cogitat aliquis, tam grauia ſe admiſiſſe peccata, vt jam Dei miſericordiã promereri non poſsit; abſit hoc à ſenſibus omnium peccatorum. O homo, quicunque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœleſtis medici non attendis? Cum enim Deus velit miſereri, quia bonus eſt; & poſsit, quia omnipotens eſt; ipſe contra ſe diuinæ bonitatis ianuam claudit, qui Deum ſibi miſereri, aut non velle, aut non poſſe credidit; eumq́; aut bonum, aut omnipotentem eſſe diffidit.* Sit ergo quantacunq; multitudo iniquitatum humanarum, maior tamen eſt multitudo miſerationum diuinarum. Sed Midas es, & auriculas, immo fibras & pigritiam aſini habes? ſed, in rebus ſacris, nihil ab elephante differs? Sed diu in ſordibus iacuiſti? ſed vno tantum gradu à morte, & ab æterna damnatione diſtas? Audiſti, qualis fuerit, & quò deuenerit iuuenis ille: pariter & cum morte, & cum deſperatione luctabatur. *Nunquã ſera eſt conuerſio,* ait S. Hieronymus. *Latro*

S. Chryſ. prooem. 1. in Iſaiam.

S. Aug ſerm. 58 de temp.

S. Hieronym. ad

*de cruce transijt ad Paradisum. Nabuchodonozor rex Babylonis, post efferationem corporis & cordis, mentem recipit humanam.* Assonat D. Augustinus, dum scribit: *Nunquam Deus spernit pœnitentiam, si ei sincerè, & simpliciter offeratur.* Et infra: *Donec sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, possibile est, omnia ablui, per pœnitentiam.* Subscribit B. Isidorus, quo teste, *Nullus desperare debet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitentiam conuertatur. Vnumquemque enim Deus de suo fine, non de vita præterita judicat.* Quô deuenisset Parisiensis adolescens, si eum de vita præterita Deus iudicauisset? Vitam malè traduxit, sed bene clausit; & in cœlum intrauit. Agite ô senes capulo proximi, adeste moribundi ex intemperantia iuuenes, de quibus medicus desperauit: si actum est de corpore vestro, nondum tamen actum est de anima vestra: tam diu vobis licet sperare, quàm spirare. Quia, vt S. Cyprianus loquitur, *& in eodem articulo temporis, cùm iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec serum est, quod verum, nec irremissibile, quod voluntarium: &, quacunque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas*

Lætam ep. 7.

S. Aug. serm. 181. de temp.

Isidor. l. 2. de summo bono c. 14.

S. Cypr. serm. de cœna dom.

*criminis, nec breuitas temporis, nec hora extre mitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à ve nia; sed in amplitudine sinus sui, mater charita prodigos suscipit reuertentes; &, velit nolit No uatus hæreticus, omni tempore, Dei gratia recip pœnitentes.* Itaque si properandum est, sum mis velis vti licet; &, vt in prouerbio est ventis destitutus remos potest adhibere.

XVII. NEC SINE SPE, NEC SINE TIMORE VIVENDVM. S. Aug. serm. 15. ad fratres in eremo. Hebr. 6. 15. Phil. 2. 12. Prou. 14. 26.

*O spes, tu omnia portare facis dulciter & sua uiter! Eia ergo fratres* exclamat ille, *hanc ama te, hanc tenete; non tamen sine timore, quia qu sperat, & non timet, negligens est: qui autem ti met, & non sperat, depressus est, & descendit in profundum, quasi lapis.* Etsi enim spes, qui fide Catholica nititur, qua nihil certius, cer tissima firmissimaque esse debet; non est ta men ita absoluta eius certitudo, vt exclud omnem timorem: cùm possit, ex parte no stra, defectus interuenire. Hinc monet Apostolus, vt cum timore & tremore salut nostram operemur: & Salomon: *In timor Domini, fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spe* Quod cum omnibus dicatur; quid illis ne cesse erit, quos natura fecit ad omnem labo rem socordes? quos mala consuetudo per duxit ad nauseam omnis pietatis? qui, cùm

potan-

potandum, feruidi; frigidi, cum orandum? in virtutem ſemper ſegnes, alacres ad flagitia? ad internos externoſq; diuinos impulſus ſtupidi; ingenioſi ad alios fallendos? Qui nunquam conſcientias ſuas inſpiciunt, ſemper rimantur alienas? Qui neque bene monentibus credunt, neque ſalutaria ſuadentibus obediunt? &, cùm boni nihil agant, maliſque ſcateant, tamen ſe eſſe ſine vitio, ſi ne culpa arbitrantur? Qui nullam temporis, nullam virtutis jacturam æſtimant? Ignauum pecus, fuci, fruges conſumere nati, neq; Dei honorem, neq; Eccleſiæ vtilitatem, neq; ſuam ſalutem promouentes; ac tandem ſubitò eo deuenientes, quò adoleſcens ſupra memoratus peruenit: vt ſcilicet, præ ſpiritus & virtutum *egeſtate*, deſperaret. Nam ex acedia non ſolùm euagatio, puſillanimitas, torpor, rancor, & malitia, ſed etiam deſperatio pullulat, vt D. Gregorius monet. Ita illis contingit, qui ad opera ſancta, *corde arido, & affectione recalcitrante, vix trahuntur, vix gehennali timore compelluntur*, ait S. Bernardus. Siquidẽ, vt idem alio loco monet, *Inuenire eſt homines puſillanimes, & remiſſos, deficientes ſub onere, virga & calcaribus indigentes, quorũ breuis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida*

Prou. 28. 19.

S. Greg. lib. 30. moral.

S. Bern. ſerm. 3. de Aſcenſ. Domini. Idem ſer. 6. de Aſcenſ.

*pida conuersatio: quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione: quos deniq;, vt videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coërcet, Non tibi horũ vita Inferno penitus appropinquare videtur?* Quemadmodum appropinquauit Parisiensis adolescens. Nec omnibus Deus pio illius fratri similem submittit, qui oratione eos fulciat, aut excitet admonitione. Siquidem acedia gratiam Dei incidit, tantamque Deo nauseam creat, vt tepidos, inertes, otiosos, *quos jam in visceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos, cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronunciet*, teste Cassiano. Et iustè profectò: quia dies salutis neglexerunt datos ad operandum. *Propter frigus piger, arare noluit; mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* Nimirum, qui vegetus, ob difficultatem, virtutes neglexit exercere, in morte æstuans, Dei Sanctorumque ope frustra implorata, totus inops relinquetur. *Libet, aiunt, fabulari* (verba sunt S. Bernardi) *donec hora prætereat, hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, miseratio Conditoris indulget. Donec transeat, inquit tempus, quo diuinam tibi repropitiare debueras pieta-*

Cassian. Collat. 4. cap. 19. Apoc. 2. 4.

Prou. 20. 4.

S. Bern de tripli ci custodia.

*pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatẽ, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Cur talem Deus non euomat ex ore? cur illi non tandem neget tempus pœnitentiæ? qui tempus pœnitentiæ in malitiæ occasionem commutat? & velut inculta terra, pro spicis spinas, pro frugibus tribulos gignit? virtutibus vacuus, vitijs plenus: vel certè salici similis, vt eum S. Bonauentura comparat, quæ nullum fructum, sed vmbram duntaxat facit: nullum enim boni operis fructum, sed vmbram solùm facit & refrigerium diabolo, de quo Iob ait: *Circumdant eum salices infructuosæ.* Ita piger & puluinar, & vmbra diaboli, non dat locum Deo. *Quæ enim conuentio Christi ad Belial?* Dat autem locum diabolo. Notum est enim illud, apud Cassianum, *Operantem dæmone vno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.*

S. Bonau. in diæta salutis tit. 1. c. 7.

Iob c. 40.

2. Cor. 6. 15.

Cassian. l. 10. c. 7.

XVIII. ACEDIAM OMNI STVDIO EXCVTIENDAM.

Atque hoc optimum est, contra hoc vitium, remedij genus, assiduus labor, desidiæ è diametro oppositus. *Si enim acedia est tristitia aggrauans mentem, vt nihil boni ei agere libeat*, quemadmodum Damascenus docet, profectò ei locum non dabit, quisquis à diuino opere non est cessaturus. Ad quem labo-

S. Damascen. l. 2. de fid.

rem nos excitat & vitæ breuitas, & authoritas scripturæ dicentis: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* O quot horæ prætereunt otiosis, quibus cœlum mereri possent! hodie cessant, quasi crastina dies certa sit? in iuuentute nugantur, quasi pro serijs agendis, quisquam sibi possit promittere senectutem? *Quis tam stultus est*, ait Cicero, *quamuis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperam esse victurum?* *Hæc*, inquit D. Leo, *solicitißima meditatio debet esse sapientis, vt, quoniam breues dies istius vitæ, & incerta sunt spatia, nunquam sit mors morituro improuisa; nec in inordinatum incidat finem, qui se nouit esse mortalem.* Non nouerat Parisiensis ille adolescens, hinc imparatus erat. Immo, etiam postquam morbus eum docuit, mortem non procul abesse, desidiam non abiecit; quia mens non inest centauris, & ille in malo indur uit. Lapides non nisi magnis artibus molliuntur: nec tardum animal asinus finit se ad ludos Circenses, & stadia decurrenda erudiri. Superest oratio, qua isti sibi excutiant torporem. Ad dormientes, & nocte dormientes, sed dormientes, in loco orationi destinato, dixit Christus: *Vigilate, & ora-*

Eccl. 9. 10.

Cic. de senect.

S. Leo. serm. 5. de ieiun. 7. mensis.

Matth. 26. 41.

*& orate, vt non intretis in tentationem.* Sed quia pigrorum non est vigilare; neque orare dormientium, saltem vigilantes orent, pro ijs, qui profundo peccatorum somno demersi nesciunt, vigilentné, an somnient: & ad pij fratris, de quo dixi, exemplum, *ignito eloquio* torpentes extimulent, adigantque ad SS. Sacramenta, præsertim Pœnitentiæ atque Eucharistiæ frequentanda, quod itidem frater ille fructuosè fecit. His enim cor hominis purgari, confirmari, & ad bene agendum solet roborari: per hæc Spiritu S. in præcordia admisso, solet homo, quantumuis crassus, quantumuis in nauibus, immo sordibus educatus, quantumuis frigidus & tardus ita inflammari, vt jam feruidè currat, qui antea languidè desidebat. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Et vel Sallustius dixit: *Vbi socordiæ atque ignauiæ te tradideris, nequicquam deos implorabis.* Vt ergo Spiritus diuinus te inflammet, ignauiam detestare: quam magis detestaberis hoc Spiritu incensus. Antiquum remedium est:

*Qui non vult fieri desidiosus, amet.*

Deum amans calebis. Calor veloces, frigus tardos facit. Ardentissimè in via Domini progrediuntur, qui igne hoc cœlesti in-

calescunt. Est enim Sanctus Spiritus iste vita nostra spiritualis; est spiritui nostro, quod est spiritus noster carni nostræ. Grande est discrimen inter spiritum & carnem: *Spiritus promptus est, caro infirma.* Spiritus est res subtilis: caro est crassa. Spiritus est res incorporea, simplex, viua, mobilis, pura, intelligens, immortalis: caro est res corporea, multiplex, impura, sordida, torpens, sensu & ratione destituta, corruptioni obnoxia. Et tamen spiritus iste, anima, inquam, si carni vniatur, vi sua, præsentiaque carnem mirabiliter extollit, ad se trahit, sibique ita copulat & iungit, vt caro fiat viua, pulchra, mobilis, bonorum animæ particeps, & quodammodo spiritualis. Denique vnus ex vtroque homo constat; qui quamuis, ratione carnis, sit corporeus, mortalis, & rationis expers; tamen ratione animæ, eiusque naturæ, est incorporeus, immortalis, & mente ornatus; aptus ad intelligendum, idoneus ad agendum & operandum. Vno verbo, per hanc animæ cum corpore coniunctionem, corpus animatur; &, quod alioqui, suo pondere, descendit & aggrauat animam, ab anima tamen ad summa eleuatur, vt viuat, vt videat, vt audiat, vt ambulet, vt currat, sensibus-

Matth. 26. 41.

ſibuſque omnibus rectè vti poſſit. Quale igitur eſt corpus, ſeu caro, ſine, aut cum anima; talis eſt ipſa quoque anima noſtra, ſine, aut cum S. Spiritu. Quo ſi caret, anima noſtra infirma eſt; ſi autẽ eo Spiritu prædita eſt, viribus pollet. Ille enim *infirma noſtri corporis virtute firmans perpeti*, ad opera pietatis nos promptos reddit. Sine hoc Spiritu, nihil niſi carnem ſapiunt homines, in terrena, in craſſa, in impura, in ſordida, more pecorum, & tanquam obeſi porci feruntur; torpent; corrumpuntur; deniq; ratione & vita ſpirituali deſtituuntur, &, velut mortui iacent, ſine ſenſu, nec ſe mouent; ſed in ſordibus ſuis computreſcunt. Quòd ſi autem hoc Spiritu pleni, *virtute ex alto induantur*, velut, è ſomno, aut à morte excitati, viuere, moueri, vigere, ac ſuam aliorumque æternam ſalutem cupientiſſimè curare incipiunt: vt videre fuit, in Apoſtolis, qui & ipſi, ante S. Spiritus aduentum, Iudæorum metu, domi ſe, intraque parietes continebant; poſtquam autem Spiritus ille vehemens linguis igneis eos inflammauit, tanquam vitali calore concepto, animati prodierunt, Chriſtum, coram omni tribunali, & *ante* omnes *reges, & præſides*, & tyrannos, heroica libertate, profeſſi. Quid

Luc. 24. 49.

Act. 5. 41.
Luc. 21. 12.

Psal. 18. 5. multis opus est? *In omnem terram exiuit so-*
*nus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum;*
Christi caussa, paratorum omnia facere, om-
nia pati. Hunc ergo Spiritum, si abest, voce-
mus & inuocemus; si adest, non contriste-
mus; eo præsente, vigor & ardor, vita & vir-
tus erit in nobis. Cuius rei exemplum & ima-
Gen. 2. 7. ginem expressit, quando *formauit Dominus*
*Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in fa-*
*ciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in*
*animam viuentem. Limus terræ* sumus, & pi-
grum lutum, è quo nos non Prometheus ali-
Isa. 26. quis, sed diuinus *figulus* finxit. *Spiraculum*
16. & Ro- *vitæ* spiritualis est S. Spiritus. Itaque tunc de-
man. 9. 21. mum *in animam* spiritualiter *viuentem* euadi-
Act. 17. mus; tunc *verè in ipso viuimus, & mouemur,*
28. *& sumus*, si hoc *vitæ spiraculum* nobis Domi-
nus Deus inspiret. Ad hunc *lucis radium*, vi-
demus animæ nostræ & pericula, & auxilia.
Psal. 147. Hic si *flabit spiritus, fluent aquæ* lachrymarum;
18. ac vera de peccatis pœnitentia, nullum relin-
quet locum desperationi. Hic Spiritus etiam
illi, qui *in profundum venit*, & quem scelerum
Psal. 68. 3. suorum *tempestas demersit*, *secundam post nau-*
*fragium tabulam* ostendet, docebitque extre-
mo discrimine laborantes sacram anchoram
soluere; si neque docentem spernamus, neq;
ducen-

ducentem repudiemus. Maximum præsidium est, Spiritui Sancto aditum patefacere; maximum periculum, resistere; eumque salutaria suauissimè inspirantem repellere. Quem ille à se admissum potest credere; qui gaudet pietate; ille exclusum existimare, cui tædiũ est, de cœlo cogitare, nausea audire de Deo, abominatio facere ea, quæ æternam coronam mereantur. Quis enim censeat, in illo Spiritum diuinum habitare, aut operari, qui cùm *Domino in lætitia seruire*, & de meditationibus sacris, de diuino cultu, de vsu sacramentorum, de exercitio virtutum magnum animi gaudium deberet persentiscere, tristatur, quoties illi in mentem venit aliquid diuinum? quoties ad templum eundum? quoties orandum? quoties confitenda peccata, & conscientia emaculanda? quoties cœli manna, Angelorum esca, epulum ineffabile, panis omnem dulcedinem habens est percipiendus? quoties denique de Deo, deque rebus æternis est audiendum? *Vsque quò, piger, dormies? quando consurges è somno tuo?* Themistocles Hieronem cum equitatu ad ludos Olympicos venientem vetuit certamem spectare. Interrogatus, cur hominem excluderet? Non æquum esse respondit, vt is, qui

Psal.99.2.

Prou.6.9.

Ælian. l. 9. Var. cap.5.

maximi

maximi periculi se socium non præbuisset, ad communem conuentum ludicraq; spectacula admitteretur. Neque ad beatam illam societatem admittetur, neque cum Christo regnabit, qui in terris cum illo non vult pati. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Cœlo vis potiri? vigila; labora; suda; sine fatigatioone sursum non ascenditur. Deorsum cadere possunt, non ascendere dormientes. Paralyticum in grabato homines ad Christũ, Lazarum Angeli in sinum Abrahæ portauerunt; pigrum nunquã ad cœlum portabunt. Superi omnia laboribus vendunt. Coronam pugna, mercedem labor, præmium merita reportant. Denique *regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Non itur illuc per rosas, sed per spinas. Nemo sibi imaginetur, in arduis, facilitatem. Qui mollem viam, qui facilitatem sectatur, *facilis descensus Auerni.* Hanc otiosus sedem speret. Æterna beatitudo virtutis est præmium. Pro æterna damnatione non est laborandum. Leuiore Tartara, quàm sidera pretio possunt haberi. Desidia atque otio eò potest perueniri. Licet cetera vitia absint, etiam nihil fecisse, est infernum meruisse. Itaque *vado ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam*

Matth. 11. 12.

Prou. 6. 6.

*entiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præce-
ptorem, nec principem, parat in æstate cibum
sibi, & congregat in messe, quod comedat.* Tu Matth. 6. 20.
quoque, si sapis, *thesauriza tibi thesaurum
in cœlo.*

# *FINIS.*

## Omnia ad maiorem Numi-nisgloriam.

INDEX

# INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

## CAPVT I.



§. 16.

CAPVT IV.



§. 1.

§. 15.

## CAPVT VII.

# INDEX RERVM ET VERBORVM.

*Prior numerus Caput, posterior Paragraphum denotat.*



 imi-

Arri-

Filij

Imperio

Lucetius

# F I N I S.

ati
9.
is ?

vi-
ce-
16.
in-
ra.

us
6.
5.